CONFVSIO
TRANSFVSIONIS
Siue

Confutatio operationis transfundentis ſanguinem de indiuiduo ad indiuiduum

A V C T O R E

BARTHOLOMÆO SANTINELLO
Romano Phil.& Med.Doct.

AD EMINEN.VM ET REVEREN.VM

P R I N C I P E M


I A C O B V M S. R. E.

C A R D I N A L E M

ROSPIGLIOSIVM.








ROMÆ, Apud Sucesſ.Maſcardi, 1668.

Superiorum permiſſu.
Sumptibus Ioſephi Baronij.




EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI,

IACOBO S. R. E.

CARD. ROSPIGLIOSIO

Bartholomæus Santinellus Fœlicitatem.



NCEPS diù dubitauit paruula hæc elucubratio ſanguinis Transfuſionem impugnans, quem ſibi Patronum quæreret, dũ publicam prodiret in lucem. Ma-

gnus profectò requirebatur; qui illam tutari posset ab aduersantium calumnijs, eò magis, quò prima omnium publicé in hanc opinionem pugnat, quæ præ sui nouitate, non popularem tantum sed doctorum etiam aliquot virorum sibi conciliauit assensum. At deterrebat propria tenuitas, qua se longé imparem tali Protectori agnoscebat, ac minus dignam, vt mereretur illius tutelare Patrocinium: Dum inter hæc versaretur dubia, cogitauit ad Te confugere Eminentissime Princeps, sed illicò magis cæpit hæsitare, ac perpendere, quam importunê ad Te accederet, quando maximis detentus negotijs, minima hæc

admit-

admittere non posse videbaris. Sensit tamen se impelli, vt his, neglectis, alacris Eminentiæ Tuæ se sisteret, ac similibus feré vocibus sibi visa est ad id stimulari.

Admittas timidam, breuemque chartam.
Intra limina sanctioris aulæ; Martial. l.5.epig. 6.
Nosti tempora tu Iouis sereni.
Cum fulget placidus suoque vultu.
Quo nil supplicibus solet negare,
Non est quod metuas preces iniquas.

Has procul dubio voces protulit tua celebris humanitas, quæ

nouis ſemper inuentis cupit omnibus vel minimis auxiliari, ac ſimul omnium corda vnanimi beneuolentiæ nexu deuincire. Huic ergo humanitati confiſa Tibi ſeſe vouet Transfuſionis Confuſio: excipe Princeps Eminentiſſime lactentis adhuc ingenij primitias, clementer protege, vt Tuis ſub auſpicijs creſcens, melius poſſit in poſterum Tuæ humanitatis præconia celebrare. Non ſolum autem elucubratio hæc Eminentiæ Tuæ ſe ſubdit, ſed ipſe etiam illius Auctor Tibi ſe dicat, vt Tuà ſuffultus tutelà, non communi tantum, ſed peculiari quoque Tibi viuat mancipatus obſequio, quod ſicut aſſequi

non

non dubitat, ita Eminentiæ Tuæ longam fœlicium annorum ſe-riem precatur, vt ſemper poſſis benigniora munera ſupplicibus elargiri.

Lector

Lectori.

CElebris, & reuiuiſcens noſtris diebus Transfuſio ſanguinis de vno in aliud indiuiduum nonnullos habuit fautores, plurimos verò contrarios, pauci tamen ex iſtis calamum in illam armarunt, & præſertim in Romanà Accademia, cuius celebriores viri magnà ex parte ab illà alieni viſi ſunt, ſed omnes ij verbis tantum, non ſcriptis in illam pugnarunt, vel maioribus negotijs implicitì vel putantes hanc nouitatem abſque valido argumentorum impulſu ex ſe ipsà citò eſſe caſuram,

ac

ac prorſus euaniturum. Dum igitur magna hæc ſilerent ingenia, non dubitauit meum tenue ingeniolum priuatæ exercitationis gratià, nouitatem hanc ſpeculari, cumque illi valde dubia videretur, cœpit dubitationis motiua notare, ac ea doctis viris comunicare, vt illorum dirigente conſilio, vel inceptam ratiocinandi ſemitam percurreret, vel ab eadem recedere inpoſterum poſſet, ſi fortè minus recta illis viſa fuiſſet. Probarunt illi, forſan vt illius non deterrerent conatus, quibus litterariam ingredi paleſtram cupiebat; imò potius illi blandirentur, vt ſic deinceps ad meliora proferenda diſponeretur. Illorum ergo conſilio hæ illius elucubrationes nunc podeunt

deunt

deunt in lucem: eas tibi offero amice Lector, vt humaniter excipias, & benigno animo legas. Serò quidem illæ tibi offeruntur, cum lento gradu fuerint compositæ, ac post quam fuerunt exaratæ, pluries inspectæ etiam fuerint, antequam euulgarentur, primogenitæ namque sunt, ac in his poliendis solet vt plurimum magnum studium adhiberi, vt venustiori, & ornatiori vultu conspiciantur, aut saltem, nisi detur hoc assequi, vt minus habeant imperfectionis, & ruditatis: hoc enim vel ipsos abortus reddit perfectiores, cum, quò longiori tempore intra vterum ij commorantur, minus etiam imperfectionis secum ferant, & turpitudinis: Pari itaque euentu, si

hoc

hoc opusculum à liuidis censoribus iudicabitur imperfectum, & abortiuum, non adeo tamen informe, & mancum censeri poterit ac si præcipiti lapsu proijdisset in lucem. Maluit igitur tardum esse, quam præceps, eo magis quia nulli peculiariter, & directè aduersari intendit, sed solum generaliter ipsam Transfusionem oppugnare; quapropter, nec tenetur (sicuti teneri nullo modo vult) Zoilorum priuatos insultus retundere, si qui forsan assurgent, nulla etenim ipsi cum eis lis est, nec cupit hostiliter altercari cum Transfusoribus, dum ingenuè suam protulit sententiam circa Transfusionis nouitatem, contra quam procul dubio illicitum

non est ratiocinari. Legant ipsi libellum hunc & probent si velint; ab alijs certè benigniorem sortem ille expectabit: hoc sanè vel ipsi, qui libro infensi sunt fateri debebunt, quod cum breuiter omnia percurrat argumenta.

Martial. lib. 2. epig. 1.

Sit licet vsque malus, non odiosus erit.

Impri-

Imprimatur:

Si videbitur Reuerendiſs: P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hiacynthus Libellus S. P. Ap. Mag.


Appro-

Approbatio.

REVERENDISSIMI P. Mag. Sacri Apostolici Palatij mandatis obediens, perlegi librum cuius titulus est: CONFVSIO TRANSFVSIONIS, nihilque in eo nec quod catholicæ fidei repugnet, nec quod bonis moribus aduersetur inueni, sed potius illum summoperè lectoribus prodesse posse affirmo.

Hyacinthus ab Altomare Medicus, & in Romano Archigymnasio Publicus Practicæ Medicinæ Professor.

CON-



CONFVSIO
TRANSFVSIONIS



PROLOQVIVM.



ROPRIAE vitæ ærumnoſam & imbecillem conſtantiam luget profectò genus mortalium:

Optima queque dies miſeris mortalibus aui
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & durę rapit inclementia mortis.

Virg. 3. georgic

 Sed

Sed meritò lacrymatur infœlix, ſuorum quippe infortuniorum ipſum ſibi eſt potiſſima cauſa, & inſidiantes ſuæ incolumitati hoſtes vltrò excipit, quinimò ſæpius querit, ſtimulatque ad inſultus. Prætereo rixas, odia, & mille alia efferati animi barbarica machinamenta, quibus homo, beſtijs ipſis proteruior, homini inſidias parat, & necem: Omitto ciborum inordinatam ingluuiem, & ferculorum execrandam multitudinem, quibus corpora ſaginantur, vt maiori onerata pondere præcipitent facilius in ruinam, & natiuo calori non aliæ vires ſuppeditantur, quam ad ingentes morborum flammas pernicioſè accendendas, vt vel ipſius Senecæ teſtantur Oracula: *Multos morbos multa fecerunt fercula: innumerabiles eſſe morbos miraris, coquos numera:* Sileo Veneris effræna tripudia, quibus turpiter mancipati iuuenes, nimis properum exitium ſibi parant inter illecebras. Sunt

Seneca Epiſt. 95.

hæc

hæc perditorum hominum turpia facinora; illud potius perpendere lubet, in quod melioris notæ viri non semel incurrunt, cum ſcilicet ſalutarium præſidiorum comprobatos euentus nauſeati, & veris dogmatibus negantes aſſenſum, vana, imò & pernicioſa medicamina amplexantur facillimè, & nouis quibus libet opinionibus vixauditis adherent tenaciter, & ſic ſalutis ſibi accelerant detrimenta, ſolum noua morborum genera in amatæ nouitatis præmium reportantes, vt proinde iurè exclamauerit ille.

Nos autem indignam vita vitam viuimus homines,
Inuentis legibus, opinionibus ſeruimus. Philemon.

At iſtorum error fortè poſſet excuſationem mereri, vehemens namq; deſiderium, quo deperditam ſanitatem affectant, & rei medicæ, vel nulla, vel ſuperficialis tantum cognitio, facere poſſunt, vt quæque in dies ipſis

nunciantur, ſtatim experiri non dubitent, ſemperque expectent ſimulcum nouitate miraculum. Potius in Medicos huiuſce abuſus maior cauſa eſt recijenda, quorum aliqui forſan plus ſibi ipſis, quam ægrotis conſulentes, nouas opiniones in medium afferre aſſiduè ſtudent, quas ſpeculari, vtile eſt ac glorioſum ingenio, at in vſum vertere, arduum eſt, & periculoſum ægrotis, imò & ipſis medicis. Etenim quæ fides medicinæ adijcietur, dum ipſius fundamenta præcipua nos ipſi conamur euertere? dum primos noſtræ profeſſionis duces (& vel ipſi vulgo reuerendos) tamquam cæcutientes, mancos, & erroneos promulgare ſtudemus, & praxis tutos, rectoſque calles fugimus, & damnamus? quis amabò, medicis, ipſique Hippocrati adhibebit fidem, qui per tot ſæcula errabundi, nec ipſam ſanguinis officinam noſcere potuerunt, hepati medentes pro ſanguinis vitijs corri-

gendis, dum à nouatoribus audiet, non hepar certè, sed cor hæmatosim celebrare? Quis factas huc vsque reuulsiones non irridebit, dum inuerso prorsùs modo factas cognoscet, supposito nouo circulationis inuento? Quæ sanè opiniones (sicut aliæ multæ) vt minus audaces videantur, frustrà sub Hippocratis vexillo sese reducere conantur, tamquam illo præmonstrante profectæ; adeò enim directè eius aduersantur doctrinæ, vt lippus profectò sit qui non cognoscat, nec ob aliud vetustatis insignibus se condecorant, quam vt faciliùs possint plures ad assensum aucupari.

Nec satis datum est curiositati: noua in dies oriuntur inuenta, quæ nouas addunt ægris molestias magnam demunt Medicinæ præstantiam, interquæ recentissima prodijt sanguinis Transfusio de indiuiduo ad indiuiduũ, cuius nouitatis ea fuit immerita sors, vt in Vrbe etiam doctos sibi statim

fuerit adepta fautores, qui non profiteri solum, sed & experiri non sunt dedignati, at

Horat. in arte poet.

... *quandoque bonus dormitat Homerus:*

auidi feruor ingenij nimis properè eos impulit ad credendum. Quapropter ne recensita superiùs damna huius nouitatis occasione magis crescant, eius vires celebrium virorum patrocinio suffultas infringere conabitur hoc opusculum, demonstrando scilicet, sanguinis Transfusionem non obstantibus experientijs, adhuc esse incertam, inutilem, & repugnantem. Vtinam illius enascentis plausus iugulentur in cunis, & detectà eius fallacià, nouæ inposterùm pullulare non audeant, adeo vt hęc Transfusio nouitatum sit verè nouissima.

SECTIO

SECTIO PRIMA

TRANSFVSIO INCERTA

CAPVT PRIMVM

Transfuſionis inuentio narratur, & exponitur modus, quo ipſa celebratur.



RTA ſua teſtari principia, eſt apud Philoſophos dogma vulgatum, non erit ergo valde difficile Transfuſionis originem perſcrutari, ſiquidem extrauagantem prorſus opinionem, non niſi alterius magis extraneæ ſobolem eſſe nemo dubitabit. Natales illa ducit ab operatione quadam paucis ab hinc annis excogitata, infundendi ſcilicet per ſyringam intra ipſas venas alimenta, & medicamenta, quæ ſanè operatio dum tria Medicinæ inſtrumenta, dietæ, Chirurgiæ, & Pharmaciæ vnicà actione explere imaginatur, omnes confundit nullam explet, facitque perfecti, & imperfecti, alibilis & excrementitij nimis violentam

miſcelam, ac dum plures coctiones vitare, & ægris medicamenti aſſumendi nauſeam auferre conatur, multiplicat cruditates, & affert maiora tormenta.

Huius igitur transfuſio ſe iactat affinem, imò eam ſuperaſſe gloriatur, dum non incocta alimenta, non aliena pharmaca ſanguini immiſcet, ſed ipſum ſanguinem puriorem venis infundit. Cunas in Anglia ſe habuiſſe teſtatur, indè ſtatim perreptauit in Galliam, poſtea adhuc tenella ſeſe tranſtulit impatiens in Italiam, ac tandem Romam appulit, vbi infantili ætate tutelam expoſcens, nutrices ſtatim habuit, & blanditias; ſed vereor, ne tantis defatigata itineribus, multū certè infanti violentis, citiſſimè contabeſcat.

At ſciſcitabitur quiſpiam adhuc forſan Transfuſionem non intuitus, qualis ſit eius aſpectus, qualis inceſſus, qualeſue mores, ſeu quid ſit, & quomodo celebretur? ſciat iſte aſpectum eſſe trucem, mores efferatos, inceſſum horribilem; ipſa namque Transfuſio nil eſt aliud, quam intromiſſio ſanguinis è ſano corpore effluentis, intra venas alterius corporis malè affecti, ex quo pariter ad noui ſanguinis ingreſſum prior euacuatur, vt corrupti ſanguinis effuſione, & optimi nouâ immiſſione, omnis morborum,

licet

licet contumacium, eradicetur causa,& corpus ipsum ad pristinam salutem reuertatur. Videat quanta secum ferat sanguinis effluuia, quanta virium dispendia,quantas membrorum scissuras, quanta tædia, dolores, & pericula, &, si potest, crudelem non judicet; sed audiat distinctam eius operationem, vt melius imaginatam crudelitatem cognoscat.

Detegitur, factâ cutis incisione, arteria carotis. vel (vt Galli experti sunt) cruralis illius animalis, quod sanguinem est transmissurum, eaque ex parte longinquiore à corde firmo stringitur nexu, ne sanguis à corde exiens vltrò possit effluere; ex parte verò cordi proximiore altero ligatur vinculo, sed facilè solubili, vt sanguinis à corde descensus impediatur, sed ad libitum possit effundi; inter duas autem ligaturas arteria ipsa scinditur, & immittitur in eam tubulus ex auricalco, vel alia quauis materia, qui in eâ parte, qua arteriam ingreditur habeat flexuram juxtà sanguinis motum locatam.

Recepturi autem animantis jugularis vena pari modo nudatur, binis cingitur ligaturis, sed vtrisque facilem solutu nodum habentibus, binis quoque foraminibus ipsa

vena aperitur, ac in ijs bini tubuli jam descripto consimiles inducuntur, quorum superior flexuram habeat caput respicientem, inseruitque ad antiqum sanguinem foras educendum, inferior autem tubulus flexuram habeat versus partes inferiores locatam, inseruire enim debet ad introducendum alterius indiuidui sanguinem in totum corpus: adduntur insuper; tum venæ, tum arteriæ aliæ firmiores ligaturæ, quæ tubulos in singulis foraminibus bene coarctent, ne moueantur, aut excidant. His peractis, tubulus arteriæ emissurus cum tubulo venæ recepturo coniungitur, laxatur inferius arteriæ vinculum, scilicet, cordi propinquius, soluuntur vtraque in venâ, sanguis permeare incipit, fouentur interim calida spongia tubuli, ne sanguis in illis concrescat, & sic totum peragitur opus Transfusionis.

Nouisti Lector vincula, scissuras, martyria; si amas, experire; si odisti, non te pigeat ea insectari vlteriùs examinando.

CA-

CAPVT II.

Transfusio in hominibus damnatur, & modus quo ipsa fit, expenditur.

BRutalia corpora liberè possunt ad opus Transfusionis, prout libet dilaniari (quamuis non sine totali ingenui animi repugnantia) sed hominis perfectissimum corpus, structura mirabilis, non debet, nec potest cruciari tam sæuiter absque magna crudelis animi notâ. Si Transfusoria operatio solum sæuiret in bruta, vtique acquiescerent omnes: *At homo, res sacra, homo jam per lusum, & jocum, occiditur* (vtor Senecæ vocibus) *& quem erudiri ad inferenda, accipiendaque vulnera nefas erat, is jam nudus inermisque producitur, satisq; spectaculi in homine mors est*; & si non mors, morti tamen affine periculum. Vidit multorum virorum congressus Transfusionem teatrali pompâ celebratam in homine, ac pænitus exhorruisset, nisi operantium accuratior industria ipsius operationis feritatem mitigasset. Seneca epist.95.

Etenim quis juguli scissuram, quis ipsius venæ vnco elationem, tot ligaturas, bina-

que

que vulnera ferre potuisset? ideoque ipsi mitiori modo illam exequi studuerunt. Iuguli venam commutarunt in venam brachij, quæ ampla est, & patentior, hinc vt cutis scissuram leniùs facerent, digitis vtrinque apprehensam, transuersaliter illam eleuarunt, & notato prius venæ decurrentis situ, secuerunt: venam ipsam vnico tantum foramine aperuerunt, tubulum immiserunt, vnamque ligaturam ad tubuli firmiorem statum adijcierunt, permittentes interim, vt ex eodem foramine sanguis humanus egrederetur, vt supra ipsum tubulum decurrens, eum foueret, ne sanguis intus permeans posset grumescere.

At nihilominùs non est totaliter deleta quædam veluti barbaries, nec exquisitam perfectionem acquisiuit operatio, licet enim rectè fuerit brachij vena secta, (cum iugulum aperire in homine nemo certè ausus fuisset) cutis tamen eleuatio parum prodest ad doloris sensum leniendum, quia per talem eleuationem non aufertur ipsi cuti sensus, imò forsan augetur, namque trahitur in situm sibi violentum cutis, tenduntur eius vicinæ partes, comprimitur aliqualiter digitis, vndè fieri non potest, quin aliquid caloris & spirituum in eam denuò ad-

aduocentur, qui ſenſum non obtundere poſſunt, ſed potius acuere: præterquam quod cutis ſic eleuata, ſupra muſculos non recumbit, nec bene, ſubſtratam adipoſam membranam habet, cui velut molli puluinari innixa, retuſam valdè vulneris acutiem ſentiret, quoniam ſic partes laxatæ, ac molles minus ictui reſiſterent, & faciliorem redderent continui ſolutionem, ac proinde minorem dolorem.

At eſto, minuatur dolor, non minuitur tamen cutis ſciſſura, quandoquidem ea fit ſatis ampla, vt detecta vena commodè poſſit ligari: hoc quamuis non videatur magnum aliquod damnum illicò inferre, tamen bene conſideranti, erit valdè ſuſpectum; ſcinditur cutis in ipsâ flexurâ brachij, vbi videmus paſſim ipſas phlebotomiæ puncturas ex leui quacumque occaſione inflammari, & ſuppurari, ergò multò magis poterit hoc in tali ſciſſura euenire, vbi maior dolor ex maiori vulnere fit, ſuturæ quæ quandoque adhibentur augent incommodum ipſius venæ grandior ſectio, ligatura, & ex tubuli immiſſione, ac manuum tractatione concuſſio, partem debilitant, & calorem cum ſpiritibus aduocant, ac tandem exeuntis, & ingredientis ſanguinis tumultus, qui ſupponitur

nitur in corpore fieri, materiam ibi facilè ſuppeditat ad ſuppurationem pariendam, præſertim ſi pluries repetenda ſit Transfuſio, vt aliquibus placet. Si reſpiciatur prætereà ad corpus jam antiquatâ ægritudine laxatum, (ijs enim commoda cenſetur Transfuſio) ſi perturbatio humorum ex tali agitatione neceſſariò ſequtura conſideretur, certè vel leuis additus dolor, multum debet exiſtimari.

Vena vnico quidem aperitur foramine, in quo ſi damnum cum vtilitate penſetur, neſcio quiſnam ex his poſſit prȩponderare; etenim vtilitas ſiſtit ſolum in hoc, quod vitatur vna venæ punctio; at ſi vna ſolum fiat, neceſſariò debet fieri ſatis ampla, vt ingredi poſſit tubulus, & relinquatur locus ſanguini per idem foramen exeunti; ita vt huius vnica amplitudo nil minus habeat, quam binæ ab alijs factæ aperitiones multo magis exiguæ. Damnum verò indè emerget; plus namque doloris aſſeret vna grandior inciſio, quam binæ anguſtiores puncturæ, (venæ magnȩ cubiti ſenſus non denegatur, cum communi veſtiatur tunicâ, vt ait Laurentius) ſiquidem earum ſingulȩ leuiſſimè affligunt cum paruam faciant continui ſolutionem, & temporis interuallo, quo vna ab

Laurēt. hiſt. Anat. l. 4. q. 3.

ab alia distat (secunda enim ad eductionem sanguinis non fit, nisi prius appositus sit, & ligatus in prima tubulus, & instet jam noui sanguinis introductio) tali, inquam, temporis spatio Natura ita quiescat, vt prioris oblita, nouam ferat alacriter; at vnica grandior, tota simul irruit, venam magis sensibiliter lacerat; ergò magis etiam dolorificè: adde quod faciliùs etiam coalescunt exiguæ scissuræ, quam grandior, sicque superius enarrata incommoda de cutis scissurâ pariter in venâ vitantur; imò & sanguinis effluuium impeditur, quod facillimè posset deinde contingere, tum ob latius orificium, tum ob sanguinis arteriosi, & calidioris copiam, qua venæ turgidæ ob illius Transfusionem supponuntur.

Nec obstat id quod adiungitur, nempè illo sanguine, qui à tali amplo venæ foramine egreditur, posse tubulum allui, & decurrentem intus sanguinem benè foueri, quia exiens sanguis, impingit quidem in tubulum, sed non per totum eius decursum vndique progreditur, quinimò potius per ipsum brachium excurrit, præsertim cum violenter egredi non possit ob ampliorem venæ aperitionem, sicuti videmus in ipsâ aquâ, quæ quò per angustiores canales permeat,

meat,

meat, eò violentiùs, & diſtantiùs egreditur. Inſuper licet per tubulum ſemper excurrat, tamen non poteſt multum caloris interno ſanguini communicare, cum ab aere quamuis calido, alteretur, ac ſpiritus, quos habet, ad egreſſum ex venâ euolent citiſſimè in auras, vt infrà melius dicetur: multum etiam caloris requiritur ad fouendum tubulum, & maximè argenteum, (quem audio adhibitum fuiſſe) vndè copioſiùs id poſſunt præſtare ſpongiæ calidâ affuſæ, & ſæpius repetitæ, quam paucus ſanguis leuiter tantum lambens canaliculi ſuperficiem.

Hæc dicta volo ad ſolius operationis cenſuram, non ad criminandos operatores, quos, tum exteros, tum noſtrates laudare, non deſino, qui vt ſuæ ſpecimen ſolertiæ præberent, nil intentatum relinquere voluerunt, in quo non eluceret propriarum manuum dexteritas, at impoſſibile, & inutile eſt Æthiopem lauare, ſcilicet, Transfuſionem abſque dolore, & incomodo celebrare.

Meditatur D. Hyppolitus Magnanus Anatomiæ Profeſſor accuratiſſimus, & amicus meus ſingularis (qui vix auditam in Vrbe Transfuſionem pluries in brutis exercuit, vt nonnullorum ſatisfaceret prudenti curio-

curiositati) Transfusionem facere in homine suauiori modo, ac ferè cum phlebotomia conueniente, non quidem vt illius asseclam se declaret, sed solum vt propriam diligentiam in Anatomico opere ostendat. Is nudato brachio, binas cogitat facere in eo ligaturas, vnam infra, alteram supra cubiti flexuram, & inferiorem præsertim fortiorem facere, additâ etiam laminâ plumbeâ ad intercipiendum sanguinis ascensum, hinc venam aperire eodem foramine, quod fit in phlebotomia, ac statim immisso tubulo laxare superius vinculum, & sanguis perbellè ingredietur, absque vllâ cutis laceratione, & venæ incommodâ pertractatione, & ligaturâ: ad egressum autem prioris sanguinis, venam in pede secare, vbi nullo cum patientis incommodo sanguis euacuatur. Placuit sanè inuentio, quam, licet contra meum argumentum aliquatenus pugnare videatur, reticere non potui, cum non consistat in hoc Transfusionis confundendæ fundamentum: præualuit amici laus. At solum circa talem operationem dubitare posset aliquis de inferiore ligaturâ brachij, quæ nisi arctissima fiat, non poterit sanguinis ascensum rectè impedire, præsertim cum à noui sanguinis ingressu supportatur

eiusdem intra venas motum concitatiorem fieri; at si fortis valdè fiat, excitabitur dolor ingens, simul cum alijs incomodis, ob tot musculorum rigidam compressionem. Insuper sectionis labra concidunt facillimè, præcipuè si pinguioris habitus sit homo; idque sæpius euenit licet sanguine repleta sit vena, à quo esitum affectante ista vulneris obturatio facilius potest impediri, ergò in hoc casu magis venæ orificium impedietur, cum per venam sectam sanguis non currat ob infernam brachij ligaturam; ex tali autem vulneris obturatione difficilior euadit tubuli immissio, nec sine lacerationis periculo, & doloris sensu non exiguo.

Placet hic etiam adnectere dissentionem quandam inter Gallos & Italos Transfusores natam circa delectum arteriarum secandarum: namque illi mortem animalis transfundentis vitare volentes, relictis Carotidibus, secuerunt arterias crurales. isti autem, ob earum exilitatem, impossibilem in ijs operationem experti sunt; quam sanè disparitatem nihil solidi in se continere omnibus patet, cum enim homo non sit, sed brutum animal, quod sanguinem est effusurum, parum refert, vtra in eo secetur arteria,

teria,

teria, & an ex eâ ſectione moriatur; at ſi homo deberet ſanguinem alteri homini communicare, tunc certè magni momenti eſſet inferioris arteriæ ſectio, cum procul dubio ex carotidis inciſione magna immineant pericula, (quidquid in contrarium nonnulli ſentiant) tum ob cerebri, cordiſque viciniam, tum ob Oeſophagum, & aſperam arteriam ibi propinquè ſtantes, quæ partes ex tali ſciſſurâ facilè poſſent alicui læſioni ſuccumbere. Cæterum nemo dubitat meliorem ſanguinem ex carotide exire, quam excruralibus, quia recentior, & ſpiritibus magis ſaturatus ſurgit à corde, ac proindè magis aptum eſſe ad Transfuſionem. Quod autem omnibus ſectio cruralium in brutis non fœliciter euenerit, nec miror; etenim longè facilior eſt carotidum, quam cruralium inciſio, ob illarum maiorem turgentiam, & ampliorem ductum; cruralium tamen non eſt impoſſibilis ſectio, juxta Pariſienſium teſtimonia, namque Viri doctiſſimi noluiſſent certè in re tam leui mentiri; atſi ipſi id aſſequti ſunt, procul dubio grandiores canes ſecuiſſe crediderim, ac inſuper, vel diligentiores fuiſſe, vel fœliciores.

CAPVT III.


Dubitatur de loco, in quem ſanguis transfunditur.

AVdiſti jam Lector, quam incertus ſit modus, quo Transfuſio peragitur, & quam inconcinnus, & laborioſus ordo, qui adhibetur. Iuuat nunc examinare paulisper locum, in quem ſanguis effunditur. At ſtatim toruâ ceruice rigidus Transfuſor aſſurgit, increpat, ac damnat huiuſmodi examen, cum ingreſſus ſanguinis intra venas irrefragabili pateat experientiâ; animal enim, quod ſanguinem communicat, exangue ab operatione relinquitur, quod recipit autem, pulſationes in corde vehementiores habet, & tumorem in venâ recipiente: At quieſcat aliquantulum precor, ſciatque me non dubitare de ingreſſu ſanguinis in corpus, ſed de eius rectâ diſtributione per venas, & quæſo mecum tali pacto ratiocinetur.

At primò ſupponat non eâdem menſurâ ingredi ſanguinem arterialem, ac egreditur venalis, quandoquidem iſte præ ſui craſſitie lentiùs exit, & arterialis ab impellente vi

vi citiùs intra venas intruditur, & consequenter in maiori quantitate. Hoc autem supposito, dubitari potest de perfecta noui sanguinis distribuione, siquidem emittitur spatio vnius pulsationis dracma vna sanguinis venalis e. g. & in eodem temporis spatio duæ dracmæ sanguinis arterialis intromittuntur: generatur præterea eodem tempore nouus sanguis intra corpus ab alimentis assumptis, nunquam enim feriantur coctrix, & sanguificatrix facultas; ergò cum plus immittatur quàm exeat regurgitabit profectò maximè cum peruenerit ad remotiores; & exiliores venarum ramificationes, vbi ob viarum angustias, & superuenientis sanguinis copiam, regressus certè eiusdem fiet ad interiora.

Et licet hæc sanguinum turgentia in illis venis non adesset, & sanguis eâdem mensurâ, qua ingreditur, egrederetur; dubitandum nihilominus esset de recta sanguinis diffusione ad eas venas; cum enim tam citò tantus sanguis intra corpus distribuatur, ac multò maiori celeritate, quam naturali eius motui conueniat, & obstent præterea venarum confusæ, ac tenuissimæ ramificationes credibile est hoc fieri perfectè non posse, sed vel afferendum talem



ſanguinem in alias partes, quam in venas tranſire, vel admittenda eſt in illis venis magna attractricis facultatis operatio, quæ ſanguinem, quouis non obſtante impedimento, violenter ad illas alliciat; hæc verò attractricis vehemens operatio; non ita liberè poteſt admitti, cum illa mediante calore, & ſpiritibus fiat; ibi autem illorum non reperiatur ea copia, quæ ad tale opus præſtandum requireretur, cum caloris fons ijs partibus non ſit adeò propinquus; nec corpori à rebelli ægritudine jam diù afflictato tanta poſſit ineſſe ſpirituum copia, valens attractricis violentæ effectum præſtare; quo pacto igitur ſanguis illuc permeabit tam citò, non liberè potens ingredi, nec à venis attractus?

Nec obijciat aliquis Vacui metum; ob quem fiat talis attractio, licet ratione ſpirituum fieri non poſſet. Siquidem reſpondi poteſt veriſimile eſſe alio modo præcaueri vacuum ab ipsâ naturâ, concidentibus, ſcilicet in ſe venis ipſis, quæ cum ſimplici, ac ſubtili tunicâ ſint conflatæ, facile concidunt, & coarctantur ſi ſanguine ſint euacuatæ, & ſic vacuum perbellè vitatur, nec proindè opus habet natura tranſmittendi ſpiritus à nobilioribus partibus ad vltimas

ve-

venas, vt meditantibus illis fieri possit sanguinis vehemens attractio.

Nec rursus opponi potest aduenientis sanguinis melior conditio, cuius indiga natura, vt morbi detrimenta resarciat, auidè illum exugit, & maiori, qua potest celeritate per vniuersi corporis penetralia nititur distribuere; falsò namque supponitur hæc aduenientis sanguinis melior conditio, cum alterius speciei sanguis, quantumuis optimus, naturæ humanæ congeneus esse non possit (vt inferius diffusè probandum erit) & per consequens ab eâ tantâ cum auiditate non expetatur: Ac licet expeteretur, adeò tamen dilatare venas illas non posset, vt sanguinis suctionem tam breui temporis spatio absoluerent; nisi dicatur ipsam sibi inuenire ignotas vias, quibus humores ducat ad vniuersum corpus, sed hoc molitur natura vbi propriæ viæ nullæ sunt, & vrget maxima refectionis necessitas; sed in hoc casu venæ sunt vndequaque ad hoc optimè diffusæ, nec adest præfata necessitas. At quæ sint istæ viæ, quas sibi parat natura pro infuso sanguine deferendo paulò inferius nos ipsi vltrò manifestabimus.

Aduenientis sanguinis tam citæ diffusioni non parum obstant valuulæ, seu ostiola ve-

Hier. Fabric. Aquapen. de Ven. ostioli.

narum ab Aquapendente reperta; quidquid enim sit de illorum vsu, certum est posse aliqualiter motum sanguinis per venas ascendentis retardare; (loquor juxta circulationis dogmata, alioquin frustra cum Transfusoribus disceptarem) vel enim habeant orificium versus Hepar; aut è contra, semper impinget in illa sanguis, & ex intercepto cursu regurgitabit ad arterias. Hæc verò ostiola non tam in rectis, & patentibus venarum ductibus reperiuntur, quā *vbi rami minores sparguntur, ac obliquè propagantur*; ergò cum sanguis dum ab obliquis ramis in latiorem truncum vult diffundi; statim impedimentum inueniat, maiorem procul dubio habebit regressum: nec censendum has valuulas, vtpotè tenuissimas facilè disrumpi posse ab ingrediente sanguine, namque ipsemet Aquapendens testatur, *quod summà cum tenuitate summa etiam densitas adiuncta est, quod factum est ad ostiolorum securitatem, ac patiendi difficultatem, ne videlicet in cursu sanguinis valido, ac præcipitoso, vbi in has valuulas impingeret, disrumperentur*; ad quam densitatem probandam, varicum addit exemplum, cum tunc temporis diù retineant hæ valuulæ sanguinem melancolicum, & pon-

Aquap. ibid.

Aquap. ibid.

dero-

deorsum, quod certè non nisi roboris est indicium.

Igitur recta transfusi sanguinis intra corpus diffusio multas patitur difficultates, licet recipi intrà corpus totum sanguinem repetitæ demonstrauerint experientiæ; oculis nec ego fidem adimo, neque hic transfundi sanguinem in aliud corpus absolutè nego, sed solum rationabiliter dubito de illius recto itinere per venas; nec rationes solum propono, sed experientiam adiungo.

Dum in brutis Transfusionem Romæ celebraret diligentissimus Anatomiæ Professor D. Hyppolitus Magnanus, aperuit grandiori cani jugularem venam, & immisit eam veruecini sanguinis copiam, quam priùs eidem cani extraxerat; optimè sanguis ingressus est, & peractâ operatione solutisque vinculis cœpit progredi canis, at vix paucos passus ediderat, cum magnâ captus vertigine, cœpit in gyrum volui vsque dum fere exanimis concideret, ac manè sequenti simili detentus affectione fuit inuentus; obstupuere spectatores, ac talis vertiginis causa communiter relata fuit ad intromissi sanguinis nimiam copiam, quo venæ cerebri repletæ, talem peperissent effectum; sectus proindè canis, vt aliquorum satis-

ſatisfieret prudenti curioſitati, nullum ſanguinem in cerebro habebat, ac totus aderat in abdominis cauitate, ac intra veſſicam & renes.

Videant igitur Transfuſores vtrum perfectè ſanguis intrà venas diſtribuatur, an potius in patentes cauitates corporis tranſmittatur: Certè hic canis non adeò paruus erat, vt eam ſanguinis quantitatem ſubſtinere non poſſet, eo magis, quod antecedentibus diebus illi fere totus proprius ſanguis fuerat detractus. Inſuper ſi ob alimenti neceſſitatem augetur in venis attractrix facultas, vt ſuperius obijciebatur, cur in tali caſu non præualuit, cum canis iſte jam multò antea fuiſſet proprio ſanguine deſtitutus, ac ſanguis adueniens eſſet ibi neceſſariùs ad vitam, non ad ſalutem? Ac ſi alicubi permeare potuiſſet, certè ad cerebrum peruениſſet: in jugularibus nullæ ſunt valuulæ, quæ poſſint motum illius retardare; imò cerebri præſtantia citiſſimam, quam reliquæ partes, poſtulat ſanguinis affuſionem; ergò cum ibi non fuerit repertus, ſignum eſt, vel ibi permeare non poſſe, vel alienum ſanguinem à naturâ non regi. Illam autem vertiginem ex feruentis ſanguinis confluxu intrà abdomen, eiuſque effumatione

Aquap. loc. cit.

tione ad caput obortam esse crediderim.

At inquies, ex vnico casu non esse arguendum ad omnes, quippè si semel malè se habuit operatio, pluries tamen fœliciter est peracta, sicuti experientiæ, præcipuè à Gallis factæ testantur, qui non solùm vnius canis sanguinem in alterum transfuserunt, sed transfusum in eo cane sanguinem, iterùm alri communicarunt fœliciter.

Et sanè ex allatá à me historià, sic prorsus in omnibus euenire non assero, solum dubitandi rationes hoc euentu confirmo. Cæterùm si ex Parisiensium Transfusionibus benè se habuerunt canes, hoc neque vniuersalem affirmationem pro contrarià parte potest arguere; forsan ob canini sanguinis congeneitatem, ob immissionis leniorem impetum, ob intromissi sanguinis minorem quantitatem non adeò sensibilis apparuit læsio, quamuis perfecta non fuerit facta distributio, quæ temporis progressu potuit emendari. Neque exactam sanguinis ingesti diffusionem infallibiliter probat eiusdem sanguinis in alium canem repetita Transfusio, quandoquidem credibile est eum canem per quinque dies optimè nutritum potuisse gignere idoneam sanguinis quantitatem, quæ nouæ transfusioni posset inseruire, simul

cum

cum eà portione, quæ prius in eius corpore remanserat antè primam Transfusionem, adeò vt sanguis, qui in tertium canem transfusus fuit, non idem fuerit sanguis, qui prius à primo cane in secundum transfierat, sedeum cum perfectè distribui non potuisset, fuisse à corpore tamquam inutilem simul cum cæteris excrementis expulsum.

Quod autem canes, qui sanguinem receperunt, statim àc vincula soluuntur, alacres surgant, ac currant, nil mirum videtur, cum igneæ canum naturæ hoc apprimè competat, ac maximè si diu fuerint vinculis detenti, àc cruciati. Præterea sanguis ingestus, licet non bene sit distributus aliquos spiritus illico ipsis communicat, ob calorem quem secum habet, sicuti accidit ijs, qui ex vini meracioris potu exhilarari sibi spiritus sentiunt, & vires crescere, & tamen vinum illud vix peruenit ad stomacum, nec adhuc cœpit corpori per coctionem assimilari.

Addere possum ad nostræ dubitationis robur alterius canis sortem infœlicem, ne vnicus casus allatus parui momenti videatur. Is recepto sanguine bene se habuit, sed paulò pòst largissima passus est vrinæ, & sudoris effluuia, quæ vel ipsius sanguinis

so-

foras à naturà per has vias protusi eruptiones censeri potuerunt, vel corporis colliquationes ab ipso sanguine factæ ob impeditum naturalem decursum, ac consequenter partam intra corpus agitationem, & calorem immodicum. Binos insuper alios canes sanguinem eàdem de causa minxisse, retulit fide dignus Professor.

Verum hæc omnia incommoda facilè vitari posse quispiam respondet, si sanguis in paucà quantitate immittatur. Hoc autem nunc venit examinandum.

CAPVT IV.

Probatur sanguinis transfundendi quantitatem non posse determinari.

TOtum vnica vice transfundendum esse sanguinem suadere primò videtur magnæ incommoditatis vitatio, quæ repetitas transfusiones comitatur, fieri namque non potest, quin, vt probatum est suprà, in ipsa sectione dolores, & incommoda æger non patiatur, & ex ingrediente sanguine aliquam non sentiat intra corpus agitationem, & alterationem, quæ omnia, si plu-

ries

ries fiat Transfusio, multiplicantur in detrimentum patientis, at si vnicâ tantum vice celebretur, semel quoque affligatur eger, & faciliùs acquiritur quod speratur juuamen, cum tota sanguinis quantitas simul ingrediens suâ vi facilius, & citius possit morbosam dispositionem expellere.

Suadetur id præterea, eo quia nisi sanguis nouus vniuersaliter ad omnes corporis partes perueniat, nullam potest vtilitatem afferre, quia non potest calorem vbique communicare, nec vegetiores spiritus, & commodum alimentum singulis elargiri, sanitas autem in æquali totius corporis temperamento, & vigore consistit; si ergò non tota eius quantitas simul, sed pluribus vicibus paulatim infundatur, hoc procul dubio contingit, quia pauca boni sanguinis quantitas, quantumuis rectè circulet, vix ad vnius partis refectionem sufficit, nec nouum calorem, (quem exiguum in paucâ quantitate continet, & partim forsan amittit) potest firmiter partibus imprimere ad earundem stabilem refectionem.

At maximè hallucinantur qui vtilem & commodam putant vnicam transfusionem; verum quidem est vitari repetitionem doloris & incommodi ex repetitâ operatione

pro-

prouenientium, at non vitatur; imò augetur interna agitatio, & à sanguinis immissi copiâ non faciliùs, ac citiùs tollitur morbus, sed fit contumacior, ac noui morbi cumulantur prioribus. Etenim copiosè ingestus sanguis quomodo poterit à partibus recipi? nonne abundè probatum est sanguinem non ita facilè per venarũ ramificationes distribui, sed regurgitare intra corporis cauitates eo vehementiùs, quo fuerit copiosior: canes sanguineo mictu laborantes post Transfusionem, & reperta intra eorum abdomen sanguinis congeries, id planè testantur; & hæc minor videbitur agitatio, quam si paulatim repetitis vicibus sanguis intromittatur? Insuper copiosi sanguinis ingredientis impetus, licet validus, semper aliquam inueniet morbificæ caulæ resistentiam, quæ ipsi eo validiùs opponetur, quò fortior erit ipsius violentia tam in expellendo corrupto sanguine, tam in afferendâ partibus nouâ temperie; ex his verò agentis, & patientis motibus, corpus profectò admodum sensibiliter concutietur, ac multò magis, quam si agentis lenitas cum minore patientis resistenti à pugnaret.

Et his relictis, ingens accederet corpori incommodum ex subitâ, ac totali eius mutatione

tatione à statu morboso ad integram sanitatem, quæ ex tali boni sanguinis immissione statim eueniret. Tum Hippocrates, tum Galenus centenis in locis talium subitarum mutationum notarunt pericula, ac præsertim ille de huiusmodi mutatione, quæ in Transfusione fit magis propriè loquutus

2. Aphor 51. est cum dixit: *Plurimum, atque repentè euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut aliter corpus mouere, periculosum, omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit tutum est, tum alias, tum cum ab altero ad alterum transitus fit*: Siquidem in Transfusione vnicà vice peractà plurimum euacuatur, & quidem repentè, & plurimum, & repentè impletur nouo sanguine corpus, & ex sanguine multis cum spiritibus ingresso; multum calefit, & alteratur, ergò periculo non vacat talis Transfusio, & eo magis, quod simul multum euacuat, multum implet, multum calefacit, multum mouet, quando vnicum tantum horum, periculosum esse, censuit Valesius. Nec obstat quod talis mutatio, quia in bonum corporis fit, periculosa esse non possit, namque agitatio, quæ fit intra corpus, omnem prorsus tollit mutationis bonitatem, vt præceteris

Franc. Vallef. in com. Aphor. 51. 2. section.

sentit

sentit doctissimus Christophorus Auega, asserens, quod talis mutatio *non tantum nocet vbi à naturali dispositione in id quod præter naturam est, mutatur, sed & si à non naturali dispositione in natiuam, & propriam reducatur*. Nec iterum obstat, quod Hippocrates dixerit transitum ab altero ad alterum esse periculosum, vt pote inter contraria factum, sanguis autem qui euacuatur, & qui infunditur, sint idem tum ratione sanguinis, tum ratione quantitatis: Quandoquidem respondetur, hos sanguines differre, eò quia sunt diuersorum Indiuiduorum; inter quæ magna plærumque inest diuersitas, ac etiam sunt diuersæ speciei, cum brutum animal sanguinem transfundat in hominem; & si nulla alia adesset disparitas, ea maxima inest, quod vnus exsanguinibus morbosus, est, & fæculentus, alter, purus subtilis, & optimus, & vt comentatur. Galenus, mutatio hæc periculosa est, *cum ab altero, cui assueuimus, transimus ad alterum*, & vt Vallesius subiungit, *cum abinsuetis reuertimur ad consueta*, in Transfusione ab insueto morboso sanguine reuertitur æger ad bonum, & congeneum, vel si mauis dicere, à morboso sanguine, quo assueuerat nutriri, accipit denuo bonum sanguinem, quo multo

Christ. Auega in com. aphor. suprad.

Galen. in com. aphor. 51 sect. 2.

Vallesf. ibidem.

tempore fuerat destitutus, ergo magnam subit, & periculosam mutationem licet sanguis sit qui educitur, & qui recipitur.

Tandem nec prædictis Hippocratis textibus opponi possunt alij eiusdem textus, in quibus mutationes violentas, & precipuè sanguinis missiones vsque ad animi deliquium probat; etenim tales euacuationes & motus non in regulari curá vsurpandos esse voluit, sed in curá coactá, vt sentit Foroliuiensis; at in Transfusione, quæ præcipuè morbis cronicis conuenit, non videtur curá tam præcipiti esse vtendum, cum morbi tales dent sufficientes inducias ad operationis repetitionem.

Foroliuien. in aphor.

Prætereo extinctionem caloris natiui, quam faceret in corpore vnica, & copiosa Transfusio, hoc namque est vnum ex periculis, quæ continentur in mutationibus subitaneis, vt supra retulimus, nec præter rationem hoc eueniret, cum compertum apud omnes sit natiuum calorem extingui, non solum ob pabuli defectum, sed etiam ob eiusdem nimiam copiam, qua obrutus dissoluitur; at nimius respectu ægrotantis in corpore caloris tantus sanguis simul irruens absque dubio esset.

Iam video exultantes mihi gratulari Trans-

Transfusores, quod nempe vnicam Transfusionem damnans, ipsorum dogmatibus fuerim assentitus, cum plærique illorum magis rationabiliter asserant, diebus, ac vicibus repetitis esse peragendam; atquiescant parumper, nec proinde illius me opinentur amicum,

. . . . *timeant Danaos & dona ferentes* Virgil. 2 æneid.
quæ superius allata sunt argumenta, non in Transfusionis fulcimentum tendunt, sed in ruinam: namque ideo probatum fuit illam vnicâ vice non esse faciendam, vt probetur deinde nec etiam repetitis vicibus posse vtiliter adimpleri, & consequenter quoad quantitatem infundendi sanguinis, illam esse incertam prorsus, & dubiam; audiant igitur secundæ propositionis probationes.

Certissimo constat experimento, quod vbi duæ res simul miscentur, illa quæ vel quantitate, vel qualitate superat alteram, eam sibi quoque assimilat, ita vt fere nihil de proprijs qualitatibus, & virtute retineat: passim hoc videtur in mixtione multæ aquæ cum pauca vini quantitate, ex qua licet vinum qualitate aquam superet superatur tamen ratione quantitatis ab aquâ, & ipsius vertitur in naturam; & è contra idem fit in mixtione pauci rubri liqnoris cum multo

albo, in qua ruber color ob vehementiorem coloris qualitatem sibi album quoquomodo assimilat, licet in quantitate maiorem:

Notissimum præterea est, quod si partitis vicibus repetatur Transfusio, multo maior erit quantitas remanentis in corpore praui sanguinis, quam boni, qui nouiter transfunditur ab alio indiuiduo, ergo cum prauus sanguis existens in corpore, quantitate longè superet bonum immissum, asserendum necessario erit, non bonum sanguinem praui emendare corruptelas, sed potius illius infici posse conditionibus, ac prorsus in eius degenerare naturam, vndè consequenter erit inferendum, repetitas transfusiones ad nihil aliud inseruire, quam ad augendam discrasiam, & a stabiliendam causæ morbificæ quantitatem.

At si immissus per Transfusionem sanguis quantitate præexistentem iu corpore non superat, superat tamen qualitate. & sic vel in exiguà copià reliquum reddit sibi similem & puriorem, Attamen si qualitatum excessus vnius sanguinis supra alterum erit metiendus, præualebit certè corruptus sanguis non bonus, nam præterquam quod ille iam discrasiam in præcipuis partibus corporis firmauit, ac in proprio suæ generatio-

nis

nis loco residens, magis seuerè ibi suam exercet tyramnidem, præualet certè in multis mixtionibus pars deterior supra meliorem. Immisceas parum aquæ turbidæ vel amaræ cum maiori quantitate aquæ puræ; & dulcioris, & profectò videbis admodum sensibiliter communicatas aquæ dulci, & claræ amaritudinem, & confusionem: non sic eueniet si magnæ quantitati eiusdem amaræ aquæ, paucam dulcem assundas, etenim nullam ferè illi comunicatam dulcedinem degustabis, & hoc certè fiet ob prauæ qualitatis excessum supra meliorem. Simili prorsus modo in sanguinum mixtione contingit, siquidem potius prauus excessum habebit supra bonum, quam è contra, non obstante præsertim huius maiori quantitate.

Nec dicas cum nouo sanguine inferri nouum calorem, qui disgregare valens etherogenea ab homo geneis, poterit etiam malas sanguinis qualitates separare ne, nouum inficiant. Respondeo namque, quod sicut sanguinis immixti quantitas respectu alterius est exigua, sic etiam erit calor exiguus, & parum sufficiens ad tale opus, cum præcipuè à contrariarum qualitatum contumacia non parum possit disperdi.

Confirmat assertionem nostram Hippocratis

Hippoc. 2.aphor. 10. tis preceptum, inquit ille: *Impura corpora quò plus nutries, eò magis lædes*; ob eam nempè rationem, quam subdit in commentario Galenus: *corrumpitur enim adueniens alimentum, vna cum ijs vitiosis humoribus, qui iam in corpore praexistunt, ita vt ipsorum quidem quantitas augeatur, qualitas verò seruetur*. Licet ibi cum Hippocrate loquatur de illa nutritione, quæ fit mediante ventriculi coctione, & de cruditatibus in primis vijs existentibus, valet etiam in casu nostro assertio, cum loquamur de magis immediatà corporis nutritione, & de impuritatibus, quæ cum intra venas sint, magis etiam sunt stabiles, & contumaces.

Galen. in com. aphor.

Nititur concutere supra dicta argutus nescio quis Transfusor validà satis obiectione; inquit ille: si repetitæ transfusiones sanguinis non possunt humorum corruptelam tollere sed potius adaugent, ergo id etiam præstabunt repetita alterantia, & medicamenta, quæ per epicrasim purgant, quæ in paucà quantitate propinantur, at contrarium asserit experientia. Disparitatem nihilominus facillimè assigno, siquidem tum alterantia, tum purgantia non sunt sicuti immissus sanguis qui cum priore conuenit ratione substantiæ, & solum discrepat quoad

maio-

maiorem perfectionem, ac proinde facile potest in illius naturam transire, illa namq; plurimum discrepant à reliquis corporis humoribus, tum substantiâ tum præcipuis qualitatibus, & ideo non possunt in eorum naturam verti, nec abijsdem superari, cum præcipuè purgantia agant totâ substantiâ, nec aliud moliantur, quam materiæ peccantis eductionem

Constat igitur, nec etiam repetitis vicibus immissum sanguinem conferre. At quamuis aliquando sic posset immitti remaneret tamen alia non leuis difficultas excutienda; quæ scilicet quantitas, tum in singulis immissionibus, tum ad totalem morbi debellationem esset transfundenda, cum in hoc præcipuè consistat remedij comoditas, hoc autem non ita facilè stabiliri potest, quandoquidem si reliquarum medicinarum dosis excedens infert grauia pericula, deficiens verò, inutiliter propinatur, similiter hoc continget de sanguine, & eò magis cum antiquorum ægrotantium lassata natura (in his vt plurimum celebratur Transfusio) magis sentiat remedij excessum, vel deficientiam, nec immissi brutalis sanguinis exactè noscatur temperies, ac cum patientis hominis sanguine correlatio, nec quantitas eius-

dem sanguinis introeuntis ponderari possit, ita vt proportione respondeat altero exeunti, ne præter rationem repleatur æger, vel necessariâ refectione destituatur;

Audiui excogitatum fuisse instrumentum quoddam ad ponderandum sanguinem, qui immittitur quod talis est structuræ. In illis tubulorum extremitatibus, in quibus inuicem coeunt adnectitur vtrinque vessicula, quæ contineat e. g. vnciam vnam sanguinis, in quam sanguis transfundentis colligitur, nec prius in alterum recepturum tubulum transmeare permittitur, quam plena sit talis vessicula, tunc enim probè noscitur vnam sanguinis vnciam fuisse transfusam. At in aliud periculum ducit huiusmodi instrumentum, si quidem inutilem prorsus reddit sanguinem, & spiritibus depauperat, dum in eà veluti lacunà eum immorari facit antequàm corpus ingrediatur. Sunt alij, qui horologij, vel penduli beneficio credunt posse determinari quantitatem sanguinis transfusi spatio tot minutorum, vel vndationum, sed sicuti systoles, & diastoles possunt in transfundentibus corporibus quà vis de causà nunc celeriores reddi, nunc tardiores, & ab illis immittitur in alterum corpus sanguis, ita stabiliri non potest quantæ

fiant

fiant intra quadrantem horæ pulsationes, ac quantus ab eis sanguis effundatur. At nimiam excreuit in quantitatem discursus, properemus ad alia.

CAPVT V.

Disceptatur de qualitate sanguinis qui transfunditur.

HVmani sanguinis in alterum hominem immissionem, vel ipsi Transfusores exhorruerunt, legibns, & pietati inimicum opus exequi recusantes quia propter comuni assensu brutali sanguine vtuntur, quem idoneum ad hoc putant, imò & humano meliorem; an autem rationi respondeat hic vsus, negandum potius videtur, quàm asserendum.

Obstat præcæteris sensibilis ipsi etiam vulgo disparitas inter brutum, & hominem, qua vel ipsæ rudes mulierculæ impossibilem declarant perfectam refectionem ab altero alteri comunicandam. Etenim quis potest induci vt credat, sanguinem aptum nutriendo verueci, sordido, fætido, ac vili animanti, eundem idoneum esse ad hominis, non nutritionem

tionem tantum, ſed optimam reſtaurationem? nonne eandem imperfectionem, & excrementa, quæ proprio corpori comunicat alteri violenter intruſus non inferet? Veſcimur quidem, & probè reficimur veruecinis, & aliorum animantium carnibus, ſed illas non immediatè noſtris apponimus, ſed tum extra, tum intra corpus noſtrum varijs coctionibus reddimus puras, & aliquid quodammodo humanijs impertimur antequam eis nutriamur; at in Transfuſione brutalem ſanguinem ſtatim intra corporis penetralia recipimus, qui quoad pleraſque qualitates multum à nobis diſtat, nec poteſt probè recipi, & perfectè aſſimilari.

Confirmat hanc diuerſarum ſpecierum incompoſibilem diſcordiam vulgaris admodum res quæ quotidie nobis ob oculos ponitur. Inſeritur alicui arbori tenuis ramuſculus alterius arboris diuerſæ ſpeciei, hic maiori trunco nectitur, & comuni vterque viuit nutrimento, quod è terrâ ipſis ſuppeditatur; at licet vna iam facta ſit arbor, licet comuni fruantur alimonia, non inde propriam mutarunt naturam ſed inuicem alterantur, & fructus ædunt vtriuſque naturæ participes; tantam ergo potuit exiguus ramus mutationem efficere in arbore, in qua

rudior

rudior conditio minus facilem reddit alienarum qualitatum impressionem, nec adest humorum tam exacta, & multiplex natura, nec viscerum functiones ita sunt ordinatæ, quæ alterationem, & læsionem facilè recipi faciant ab adueniente contrario comunicatas.

Inferri igitur ex hoc cum ratione potest, insertum homini brutalem sanguinem vniri quidem, sed talem facere mixtionem, vt inde alteratum corpus talis sanguinis qualitates necessario suscipiat, ac in eius quoquomodo naturam degeneret, eius scilicet recipiens sordes, & propriam belluà temperiem.

Quinimò, & mores, quí corporis temperamentum sequuntur, vt diffusè probauit Galenus, & peculiariter asseruit Rodericus Castrensis, docens, exalimentis ingestis mutari temperiem, & subinde mores: in Transfusione alitur homo immediatè brutali sanguine omnibus ijs spiritibus imbuto, qui intra ipsum animal belluinas operationes efficere valebant, sanguis iste arteriosus est, qui efficacior ad id præstandum à Senerto censetùr, apud quem plura leguntur exempla harum mutationum à brutali sanguine assumpto prouenientium, organa eadem ferè sunt,

Galen. li. quod animi mores &c.
Roderi. cus Castren. in lib. de alimen. sectio 2. cap.4.
Sennert. l.2instit. part. 3. sectio 2. cap. 4.

ſunt, ac in brutis, ergo facillimè homines, brutales ædent operationes.

Figuram hominis ab immiſſo belluino ſanguine immutari poſſe ita vt homo veruecino ſanguine, imbutus cornua emittat, vellera, & vngues prorſus nego & ridiculum cenſeo, at licet ridiculum ſit erit tamen Transfuſoribus non parũ infenſum. Dantur certè in veruecino ſanguine partes excrementitiæ quæ in corniũ pilorum, & vnguium naturam degenerant, ſicut aliæ ſanguinis partes puriores reliquis corporis partibus aſſimilantur; hæ autem partes ſanguinis, ſiuè ex ſe ad nutrienda corporis membra perueniant, ſiuè ab ijs attrahantur parum refert, certum ideſt, quod tales partes ſanguinis excrementoſæ, quæ in humanum corpus immittuntur, vel ad eas partes de mandabuntur, prout fiebat in brutis, & ſic gignent vellera cornua &c. vel ſi non de mandabuntur, eo quia harum rerum in homine nulla reperitur, remanebunt, cum reliquo ſanguine, & ad nobiliora viſcera permeabunt, vbi damnum non leue afferent reliquam ſanguinis probam portionem corrumpendo.

Vidimus quanta adſit qualitatum diſparitas inter humanum corpus, & belluinum ſanguinem in eo Transfuſum, vndè benè collegi-

legimus comodam restaurationem ab eo præstari nullomodo posse, verùm incomoda non contemnenda. Istabit nihilominus argutus Transfusor, & addet, brutalem sanguinem, licet quoad cæteras qualitates discrepet ab humano, conuenire tamen cum eo ratione caloris, qui est præcipua res, quæ attenditur pro corporis refectione, etenim vel ipso asserente Platone omnium animantium, licet specie diuersorum vnus, & idem est calor & comuni patet experimento, deperditum in homine calorem restaurari, appositis supra refrigeratam partem animantis adhuc viuentis calidis visceribus, ex quo non nisi vtriusque indiuidui calorum symboleitas arguitur. Plato in Timæo.

Sciat tamen non adeò indubitatam esse propositionem quam ipse facit de omnium animantium specie diuersorum calore, si quidem multa operatur calor natiuus in vno animante, quæ in alio alteriùs speciei operari non potest licet plerumque sit in eodem gradu, imò in minori. Præterèo quod de struthio camelo, fertur ferrũ ipsum vi caloris digerente, quod vel Leoni animantium omnium calidissimo exequi non permittitur: id absque dubio patet, fœnum, & paleas, quibus apprime nutritur Asellus torpidum, & se-

& ſegne animal, ideoque calore parum viuido ſuffultum, in hominis congeneum alimentum tranſire non poſſe, licet hominis calor, vel idem ſit cum Aſelli calore, vel certè viuidior: crudas carnes, quibus innocuè cætera animalia veſcuntur, homo nullo pacto concoquere perfectè poteſt, licet ſit quoad calorem perfectior; ergo patet diuerſorum animantium calores non eſſe eiuſdem prorſus ſpeciei, cum tam diuerſos ædant effectus non à maiori, vel minori gradu, ſed à diuerſa formà ſpecificà prouenientes. Optimè quidem aſſeruit Plato, *omne animal in ſanguine, & venis calorem quaſi ignis quendam fontem habere*, quia in quolibet animali calor velut ignis coquens eſt ſed non eodem procedit modo in ſingulis, cum ſecundum diuerſas illorum ſpecies diuerſimodè etiam circa coctionem operetur. Nec ſimilitudinem inter omnes animantium calores probat allatum experimentum de animalibus viuis exectis ad reſtaurandum in refrigeratà hominis parte calorem, quia ſæpiùs id æquè præſtant calentium aliarum rerum appoſitiones, & calidorum medicamentorum linimenta, quorum certè calor eiuſdèm ſpeciei cum natiuo hominis calore, cenſeri non debet, illa namque calentium ani-

Plato in Timæo.

animalium appositio nil aliud præstat, quam elementaris caloris qualitates, quibus pori refrigeratæ partis aperiuntur, alliciuntur spiritus, vt ibi confluant, discutiuntur humores crassi, & lenti, si forte ibi sint, & natiuus calor aduocatur, vt à cæteris corporis partibus, illuc etiam parumper diffluat, & sanè non violenter, ita vt cor, & reliqua præstantiora viscera deserat, sed sufficienti irradiatione, qua gradatim absque vllo reliqui corporis periculo pars etiam illa deperdita, comuni gaudeat talis caloris influxu; cæterum credibile non est ab illo exenterato animante transmitti ibi propriam vim, & spiritus, quibus statim ea pars quasi nutriatur, perinde ac ipsum animal illos amplexabatur.

Instabit Transfusor: nonne superiùs dixisti belluinum sanguinem in humanum corpus Transfusum ibi posse belluinos mores, & qualitates producere? ergo eiusdem speciei illum facis, ac prorsus admittis id quod nuper negasti, scilicet calorem horum subiectorum ideò esse diuersum, quia quod operatur in vno, in altero operari non potest.

Respondeo non ita vniuersaliter me asseruisse omnia à bruto transire in hominem mediante sanguinis effusione, sed solum dixisse

xisse qualitates ipsius sanguinis, tum primas tum secundas', homini comunicari, & consequenter posse alterare ipsius temperiem, & mutatâ temperie mores, eos scilicet, qui ab ipsa intemperie possunt prouenire, puta ab humidâ, & frigidâ torporem segnitiem, stoliditatem, à calidâ, & siccâ, furorem rabiem &c. non verò eos mores, qui propriæ brutorum naturæ conueniunt, & illa ab homine specificant, puta vocem victus rationem, &c hæ namque operationes sunt illæ, quæ animantium species constituunt, & sicuti calor, id quod in vnâ specie operantur, in aliâ non efficiunt. Cæterum, & hoc non supposito, sumat aduersarius quam libet ex supradictis assertionibus, & mihi sufficiet, etenim si vera erit prima, scilicet belluinam naturam posse homini comunicari per sanguinem, & calorem, ergo ob tale periculum non est celebranda hæc Transfusio: si autem secunda vera fuerit, scilicet calorem in diuersis specie animantibus non posse easdem operationes efficere, ergo inutilis concluditur vnius ad alterum transmigratio; sic igitur duæ istæ assertiones, nullâ obstante earum contradictione, singulæ pugnabunt in Transfusionem.

At possit quantumuis operari in homine bru-

brutalis calor, sitque eiusdem prorsus speciei cum ipso, ideone periculo vacabit hæc Transfusio? minimè quidem, cum Transfundentis animalis calor à vulnere, ligaturis, & violento situ, quo detinetur, summopere agitetur & excandescat, ex quibus non valde amicũ recipienti indiuiduo potest accedere, ac illius labantis vires perfectè reficere; imò ex vi, & agitatione supradictâ potest facilè concipere phlogosim, quæ possit in subiecto recipiente febrem accendere, cum præsertim tale corpus ægritudine rebelli laxatum, & proprij sanguinis effusione refrigeratum, talis impetus violentiam facillimè persentiat,& firmiùs recipiat,nec possit irruenti calori taliter resistere, vt contrarijs qualitatibus eius temperet ardorem, namque propria imbecillitas non permittit ipsum obstare contrario aduenienti, sed potius illi succumbere.

Audistis iam satis quanta secum ferat incõmoda belluini sanguinis in hominem infusio: vidistis denuo fabulosæ Circis perditas artes in lucem prodijsse, quibus homines conuertebantur in bruta, hoc quoque nomine etiam illis sæuiores, quod eæ dulci concentuum harmonia vtebantur; hæ verò rigida sanguinis effusione perficiuntur. Vt

autem pleniùs earum eradicetur abusus, iuuat hic etiam refellere rationes nonnullas, quibus aliqui Transfusores, non solum brutalem sanguinem ad hoc opus idoneum censuerunt, verum humano sanguine longè meliorem existimarunt; prima ratio sic habet; Bruta animi passionibus non ita subiacent, vt homo, nec immoderatè ciborum ingluuiei deseruiunt, vt ille; quapropter meliorem sanguinem apta sunt gignere, & de facto in homine, & vel ipsis lactentibus puerulis purus sanguis non reperitur. Secunda est: vtimur quotidie carnibus animantium, illorum lacte plures morbi curantur, ergo sanguine etiam perfectè restaurabimur. Tertia est, quod facilius in brutis operatio perficitur, cum possint quomodolibet adaptari, arteria possit innocuè secari, & possint ad opus præparari, ea nutriendo ante operationem ijs cibis, qui illi morbo, quem curare intendimus, resistere valent.

Ad primam igitur sic respondetur falsum esse quod bruta minus quam homines passionibus animi subiaceant, & ingluuiei deseruiant; siquidem homo per hoc differt à brutis, quod rationis imperio passiones comprimere potest; per accidens enim se habet quod homo in aliquà ex ipsis obstinatè perseue-

ſeuèret, at bruta, qualia non aggrediuntur vt paſſionibus obtemperent? quantis tempore coitus inſaniunt furoribus? adeò vt plura ex ipſis ferè contabeſcant; quanto in rabiem capiuntur impetu? quam inceſſanter gulæ deſeruiunt, cum aſſiduè ad comedendum parata, & intenta reperiantur? at homo quantumuis voracior, ſtatuta tempora ſibi parat ad cibum, apto ad digeſtionem interuallo diſſita, quæ licet quiſpiam mutet, diù tamen à ſtatutà lege aberrare non poteſt, ipſum, vel inuitum, ad iuſtam normam reducente natura. Si verò hominum ſanguis impurus ferè ſemper apparet, nil prohibet talem quoque poſſe conſpici in brutis: ſi enim in ijs vitientur coctiones, ſi humor aliquis exuberet æquè benè eorum inficietur ſanguis ac in homine inficitur: cæterum reſpectiuè ad brutalem ſanguis humanus ſubſtantiam habet meliorem, & ſpiritus vegetiores, quod nullus certè inficiari audebit.

Ad ſecundam alibi in hoc capite fuit reſponſum, quod dum carnibus, & lacte brutorum nutrimur, illas prius pluribus coctionibus nobis congeneas reddimus, antequam nobis aſſimilemus; non ſic in caſu præſenti, in quo ſanguinem belluinum nullo modo repurgatum immediatè noſtris viſceribus

apponimus, & corpori assimilamus.

Ad tertiam conceditur posse brutis secari arteriam, quia de illorum vita nihil curamus, posse item ligari, & quomodolibet ad opus adaptari, posse insuper optimè nutriri, attamen non ex hoc belluini sanguinis innotescit perfectio; si enim ijsdemmet cibis nutriatur homo, sanguinem gignet absque dubio meliorem, quam bruta, ergo deleatur humano sanguini illata contumelia, qua belluino declarabatur imperfectior, & firmiter constet, incertam adhuc esse qualitatem sanguinis ad Transfusionem idonei, cum humano vti, sit periculosum, & quodammodo execrandum, belluino verò, sit inutile & perniciosum.



SECTIO

SECTIO SECVNDA

TRANSFVSIO INVTILIS

CAPVT PRIMVM

Ex parte sanguinis Transfusi inutilitas Transfusionis arguitur.



PLVRIBVS in superiori sectione inutilitatem Transfusionis demonstrauimus, quamuis de illa propriè locuti non fuerimus, dum enim quantitatem, & qualitatem Transfusi sanguinis certa regula non stabilitas notauimus, simul earum noxas, & pericula recensuimus, & non solum inutiles, sed perniciosas agnouimus: restat nunc vt de tali inutilitate magis exprofesso loquamur, quandoquidem Transfusores se iactant remoturos præfatas incertitudines assiduis, & iteratis experientijs; imò prædicant iam Transfusionem fœlici cum euentu pluries fuisse administratam, & nonnullos morbos exactè curasse.

Inculcandum igitur erit, vanum prorsus

esse juuamen, quod à Transfusione supponitur recipiendum; & primò id erit probandum ex ipso sanguine, qui transfunditur, qui quantumuis sit eiusdem conditionis cum homine, & calorem habeat cum eo specie conuenientem, adhuc tamen dum in corpus immittitur jam amplius non valet stabilem vtilitatem efficere, & amissam salutem perfectè nutriendo restaurare constanter.

Certissimum est præcipuas nostri corporis functiones mediantibus spiritibus fieri, & labefactatam nutritionis œconomiam non aptè restitui optimæ materiæ appositione, nisi quoque talis materia sit viuidis copulata spiritibus, qui eius adiuuent distributionem, appositionem, & coctionem; ergò si corpori à contumaci affectione laxato succurrere per Transfusionem velimus, necesse est vt talem sanguinem in eo transfundamus, qui non solùm in qualitate sit purus, in quantitate proportionatus, sed spiritibus & calido naturali plurimum sit refertus, vt possit intra ægrum corpus operari, & distribui, ac insita vi viscerum deprauatas functiones componere, ac totum corpus sensibiliter immutare; & proindè optimè sumitur sanguis arterialis, qui spiritibus est opti-

optimè saturatus, cum immediatè à caloris fonte prosiliat.

Tali suppositâ veritate inutiliter celebrari Transfusionem asserendum videtur, cum sanguis arterialis, qui egreditur ab animante, & per tubulum transcurrens, ingreditur ægrotum hominem, plurimos in tali egressu amittat spiritus, & ex ijs puriores, & meliores vndè nullo pacto potest quidquid opus erat ijs mediantibus intrà corpus patientis efficere: nec obstat quod multis auxilijs horum spirituum impediatur effluxus, calefaciendo non solùm aerem circumstantem, sed ipsum tubulum, vel calidâ spongiâ fouendo vel etiam ipso venali sanguine hominis egrediente alluendo, vel humana item pinguedine liniendo vt proponit Transfusor eximius; siquidem horum spirituum facillimam euolationem, & ferè impossibilem illorum egressui resistentiam ipsa nos docet Natura, & notissimo constat experimento, cui protinus necessarium est acquiescere.

Generationis opus apprimè impeditur ex communi consensu, si coëuntis masculi penis paulò longior extiterit, sic Aristoteles, Aristot. p. de Gen. Animal. cap. 6. & Auicenna, qui præcipuè sic loquitur, & talis euentus rationem apponit: *Et cum*

Auicen. l.3. fen. 20.tract. 1.cap.23

prolongatur virga valdè, prolongatur motus spermatis, quare venit ad matricem calore eius jam fracto, non ergò generat secundum plurimum; at si in tali casu calor deperditur, & spiritus euanescunt cur id non fiet in Transfusione? penis, qui tubuli vices gerit, non solùm externi aeris calore munitur cum à corporum contactu maximè calefiat, non solùm à frigidà, & inanimatà materià non componitur; sed viuit, & venis, arterijsque fouetur, verum etiam intra muliebre vasculum ferè totus occlusus, exactiùs ibi fouetur, quam in Transfusione foueatur tubulus sanguine pinguedine, & spongijs. Insuper seminalis materia, qua spiritus obuoluuntur, maioris longè est crassitiei, quam sanguis ipse arterialis, quà certè non leuiter possunt spiritus detineri, ne fugiant; operatio citissimè perficitur, ac tandem corporum motu plurimus ibi accitur calor, non leue beneficium toti operi adiungens; nihilominus talis jactura subsequitur, vt generatio fiat irrita. An non ergò irrita quoque fiet nutritio, & corporis restauratio per Transfusionem, in qua sanguis maiorem patitur spirituum defectum, cum validiora non habeat auxilia, quibus muniatur? Insuper in supra-

prædicto casu semen, licet aliquo ingrediatur destitutus vigore, attamen statim ab vtero excipitur, ibi totum colligitur, & optimè fouetur, mixtione sanguinis menstrui confortatur, & accessu fœminini seminis coadiuuatur ad opus; & tamen adhuc persistit inutile ad procreandum; tantus fuit vigor, quem in tali itinere, licet optimè munitum, amisit. At sanguis transfusus in omne corpus dispergitur; viscera, non solùm calore spoliata, sed contumacibus obstructionibus, & pessima diathesi afflicta peruadit; cætero sanguini immiscetur, qui non spiritus impertiri potest, sed contagium inferre, vndè vires, quas in immissione deperdit, nullo modo poterit reassumere, & sic inutiliter transfundetur.

Alijs etiam de causis ingrediens sanguis potest inutilis declarari, de quibus inferiùs. Restat vt aliqua dicantur de humanà pinguedine, quæ proponitur ad illiniendos tubulos, ne sanguis præterfluens detrimentum suscipiat, quam duplici nomine non conuenire declaro, primò quia non suppono sanguinem in itinere grumefieri, ita vt materia penetrante opus habeat ad sui dissolutionem. Secundò, quia etiam si opus haberet, tamen non posset sic tubulo illinita

vtilitatem præstare; necesse enim est, vt appositum medicamen, vel immediatè affectam partem tangat, vel saltem imponatur cuti propinquæ, à qua ratione communis caloris probè suscipitur, & ad partem affectam transmittitur, non verò inanimatæ rei applicatur, quæ vel resistere intromissioni potest, vel medicamenti vires infringere, cum nullam habeat cum parte patiente congeneitatem, sic inutiliter mederetur quispiam tumori vel vlceri in brachio existenti, si supra vestes emplastra apponeret, putans ea posse vestium poros penetrare, & hinc laboranti membro remedium afferre: ita profectò sanguini intra tubulum grumefacto mederetur humana pinguedo exteriùs illinita. Sed inutilis prorsus est de his disceptatio, juuat ad meliora calamum conuertere.

CAPVT II.

Ratione partium recipientium eadem inutilitas confirmatur.

INtromissum sanguinem partibus corporis recipientibus non rectè accomodari jam

jam in primâ sectione similiter cœpimus probare, dum vel ob quantitatem ab illis respui, vel ob qualitates diuersas illis non probè vniri diximus; nunc autem magis specialiter idem occurrit probandum, vndè cæteras rationes relinquendo, vnica tantum res nunc repetenda erit; quam in superiori Sectione Cap. 3. insinuauimus, scilicet, quod ad hoc vt sanguis qui ingreditur, statim per vniuersum corporis ambitum diffundatur, & multiplices venarum diuaricationes peruadat, ac earundem angustias superet, prout de facto taliter distribui aliquibus videtur; cùm magna sanguinis copia ab vno animante in aliud transfundi videatur, necessaria sit in vniuersis corporis partibus valida quædam attractrix facultas, quæ violentâ quadam suctione, quibuscumque non obstantibus, sanguinem ad illas asportet; hanc verò attractricem validam negauimus in corpore ægrotante dari posse, cum hæc mediantibus calore, & spiritibus operetur, & in tali corpore ij penè sint omnes exhausti ab antiquatæ ægritudinis contumaciâ. Nunc autem hæc quoque attractrix violenta illis est liberaliter concedenda, vt ex tali concessione noua in Transfusionem argumenta parentur, po-

teft

test siquidem admitti quod Natura, vt euacuati sanguinis restauret jacturam, tota sese colligat ad noui sanguinis attractionem: Ideone igitur probè reficientur tali sanguine partes corporis tam auidè ab ipsis excepto? quinimò valdè noxium experientur, & solum ad firmandos priores morbos idoneum; si namque loquamur de nutrimento, & refectione externarum partium carnosarum, qualis in Cachecticis, & tabefactis moliri intenditur per Transfusionem, assero illam nullo modo assequi posse mediante hoc sanguine ad illas in tali copià, & tantà vi attracto, cum is antequam nostris carnibus apponatur, plures subire debeat mutationes, quibus, tamquam per gradus, in hominis commutetur substantiam; at sanguis hoc modo irruens non potest perfectè præfatas mutationes recipere, nempè temperati roris ad instar transcolare non potest, quia violentum, quem ab attractione cursum suscepit, ibi cohibere non valet, nec conceptus in motu calor, illum tantoperè immorari sinit. Rore benigniter, & pacatè non exudante, gluten consequenter imperfectum fit, & parum tenax, à copia scilicet superuenientis liquoris dilutum. Gluten autem imperfectum; in malum vertitur

titur Cambium, tum ex parte sui ipsius cum parum ad herere possit ob glutinis imperfectionem, & ob non exactum coctionis gradum acquisitum tum etiam ex parte recipientium carnium, quæ pertinaci dyscrasiâ laborantes, quidquid ipsis apponitur, in propriam naturam conuertunt, & maximè si nutrimentum quod aduenit, perfectissimum exactè non sit ita vt possit earum prauæ dispositioni potenter resistere.

Si verò loquamur de eiusdem sanguinis attractione, à visceribus facta protinus affirmandum erit, posse in eis calorem extinguere, obstructiones confirmare, abscessus forsan parere, & inde reliquo corpori augere detrimenta salutis, cum enim in illa quoque violenter irruat, siue ab ipsis visceribus auidè attrahatur, vt à cæteris partibus fieri iam supposuimus, siue ex se ad illa confluat, ex eo quod nunquam eadem probà mensurâ distribuatur, ac proprius sanguis distribuitur (namque propriæ substantiæ tenuitas, & emittentis bruti agitatio, ipsi motum violentum conciliant saltem per primas, & patentiores vias) facilè potest præsui copià calorem in illis iam satis centem obruere, vnde magis rebelles fiunt obstructiones, nec non ibi collectus, & vel

in

in ipsorum cauitatibus stagnans, vel per eorum substantiam diffusus (cum totus eo modo ac ingreditur in viscerum substantiam, probè commutari tam citò non possit) facilè potest inflammationes parere, & abscessus, cum magno sanitatis, & vitæ discrimine. Sed singula detrimenta, quæ in singulis morbis, quibus adhibetur Transfusus sanguis, loco vtilitatis infligit, exactius infrà narrabimus: sufficiat pro nunc manifestè ostendisse Transfusionem non solius nouitatis esse ream, sed aliorum etiam criminum esse contumacem.

CAPVT III.

Ostenditur omnem vtilitatem, quam posset afferre Transfusio, esse infructuosam & parum durabilem.

Respectu ipsius sanguinis Transfusi, & partium eundem recipientiũ, nullam vtilitatem potest afferre Transfusio; quod si forsan aliquando posset aliquod inferre iuuamen, illud adeo breuem haberet durationem, vt vix vmbratile vtilitatis nomen obtinere valeret: Morbi autem quibus adhibetur Transfusio

fusio, cum sint vt plurimum antiquati, & rebelles non nisi stabili, & magnâ auxilij virtute leuantur, & respectu ipsius operationis, quæ laboriosa est, ac difficilis, nulla censetur vtilitas, nisi notabilis, & firma consequatur. Eam verò (si quandoque illâ frui liceret) citissimè euasuram, certissimo summi Hippocratis probatur oraculo, ait ille: *Eorum quæ confertim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones*, sed sanguis Transfusus velociter nutrit, ergo velocem habebit excretionem à corpore; minor argumenti propositio probatur, siquidem asserit Valesius, quod quæ omne alimentum, quod præstare possunt, simul, citòque præstant, confertim & celeriter alunt, hic autem sanguis, si aliquod corpori nutrimentum affert; illicò totum affundit, quia immediatè illud partibus apponit, non vt cætera alimenta, quæ per varia viscera transeundo, non illicò suas effundunt vires, sed debito tempore, & iustâ portione distribuunt, prout partium exposcit necessitas, vt illis melius adhæreant. Præterea quia, vt probatum est supra, validâ attractione sugitur hic sanguis a partibus corporis; & sic quidquid boni habet, violentâ celeritate transfundit, non solum vitiosam, sed

Hippoc. 2. aphor. 18.

Valesius in com. aphor.

etiam

etiam leuem, & inconstantem afferens refectionem. Tandem quia ipse ex propria sui natura stabile alimentum præstare non valet cum sit arterialis, & consequenter in substantia tenuissimus, ac fluidus & quantum natiui caloris deperdit in itinere tantum extraneæ caliditatis à corporis transfundentis interna commotione recipiat; ergo si velociter nutrit, & apponitur, velociter etiam excernetur, hoc est, *substantia, quam præstat corpori citò dissipabitur, haud durans diù*, vt exponit idem Valesius.

Valesius ibidem.

Confirmari insuper potest talis vtilitatis duratio breuissima, ex eo quia cum transfundatur intra corpus singulis vicibus vna libra sanguinis aut paulò plus ista sanguinis quantitas paucis circulationibus tota absumitur in corporis nutritionem; at postquam tota fuerit consumpta, corpus iterum incipit nutriri proprio sanguine à malè affectis visceribus assiduè genito (namque si adest in Transfuso sanguine melior conditio, quam in proprio consistat, certè illum priùs ad se partes alliciunt, deteriorem respuentes) qui iuuamen à priori sanguine allatum disperdet, quare vel erit repetenda Transfusio singulis ferè diebus, vt semper optimi sanguinis copia existat in corpore, qua indeficien-

ficienter partes restaurentur, vel eousque saltem erit facienda, quousque viscera principalia naturalem statum resumant; vt possint illa etiam ex se probum sanguinem ad corporis nutritionem conficere, at hoc quam difficiliter assequi possit, infrà ostendemus: Certum tamen est Transfusiones tot vicibus repetitas cum sæpius agitent, & affligant languidos ægrotantes, non sine magno periculo posse celebrari, adeò vt iuuamen simul cum periculo augeatur, & sic potius damni speciem habeat, quam vtilitatis.

Sed iam à superioribus assertis recedere nos facit ratio validior. Concessimus supra, transfusum sanguinem illicò ac recipitur, aliqualem comunicare partibus refectionem, eumque ab ipsis tanquam meliorem attrahi celeriter; nunc verò id quoque restringendum videtur, quandoquidem ratio adest non leuis, probans eum sanguinem statim ac corpus ingreditur, suam puritatem deperdere, & consequenter, quantumuis celeriter, nihil tamen vtiliter refectioni corporis inseruire. Quandoquidem cum malè affectum Hepar & reliqua viscera, peruadere debeat, & per ea vasa excurrere, quę malum sanguinē solita erant continere, ijsdem inquinabitur vitijs quibus ille sanguis prior erat conspur-

catus, & indè adpartes nutriendas perueniens, idem prorsus illis præstàbit alimentum, quod â proprio sanguine solitæ erant recipere: probatur hoc quoad viscera principalia, namque si illa vim habent, vt sanguinem, quem gignunt, vel aliunde recipiunt ideò prauum faciant, quia propriæ intemperiei illi noxas communicant; cur sanguini huic ad illa similiter aduenienti easdem non infligent corruptelas? Hepar in nouatorum sententiâ non gignit sanguinem, sed solum eum ibi delatum à bile segregat, & morbi ab Hepate prouenientes hac solum de causâ fiunt; at sanguis Transfusus eodem modo procul dubio ad ipsum demandatur, ergo si Hepar erit vitiatũ, nec eum probè separabit, & propriâ intemperie vitiabit, prorsus ac proprij corporis sanguinem conspurcabat.

Probatur deinde hoc quo ad vasa deferentia similitudine vasis in quo acetum, vel alius fætens liquor fuerit asseruatus (quæ similitudo comuniter affertur) in tali namque vase si vinum infundatur, aceti, vel prioris liquoris qualitates accipiet, eo quia vas taliter infectum quidquid in se recipit, simili afficit inquinamento; ita si in venis, quæ corruptum, & excrementitium sanguinem solitæ erant assiduè continere bonus sanguis

in.

infundatur, prioris fæditatem, & vitia suscipiet ratione venarum ipsarum iam infectarum. Quod autem possit venis imprimi qualitas sanguinis, qui intra ipsas excurrit, negant Transfusores; at facilè potest probari, quia si actuali feruescentia sanguis exardescat, eam certè per assiduum contactum venis ipsis comunicabit, si alicuius humoris excessum habeat, puta bilis, aut melancoliæ, de illorum quoque intemperie venæ participabunt; si cruditatibus, & alijs etherogeneis rebus sanguis inficiatur, earum quoque portio adherebit venarum tunicis: si tandem deleteria qualitate sit sanguis imbutus, tale quoque contagium venæ ipsæ non fugient; certè si lignum, vel alia inanimata res per aliquod tempus ex contactu alicuius rei facilè, & firmiter in se illius qualitates suscipit, non video cur venæ, quæ aliquam actionem, magis quam lignum, possunt circa hoc exercere, non retineant in se qualitates aliquas illius sanguinis, qui aliqualiter licet malus, est illis familiaris, & assiduè circa illas versatur.

Nec hoc probat quod neque ipsis medicamentis, aut alimentis vis vlla adsit ad morbos profligandos siquidem periculum est, ne illorum succi statim ac cum humoribus corporis inquinatis miscentur, vel in vias ab il-

lis infectas sese insinuant, malis etiam inficiantur conditionibus. Etenim sicut vinum, quod infunditur in vas in quo acetum, vel male odoratum vinum prius permanserat, tales statim recipit qualitates; ita illas non recipit, si decoctio aliqua, quæ à peritis solet in his casibus fieri ad prauas has qualitates tollendas, priùs illi vasi imponatur, quia illa decoctio secum habet qualitates contrarias talibus vitijs, & eas magnopere illis superiores, vndè nihil pati potest, sed solum contrarium superare: non sic vinum, quod licet priuatiuè aceto, & corrupto vino sit melior, hoc est, non habeat actualiter ea vitia, quæ ipsa habent; non est melior positiuè, quia non habet aliquid quod resistere prædictis vitijs possit, & illa superare, sed potius habet aptitudinem ad hoc vt in illa degeneret, & præsenti contagio faciliter possit infici. Pari ratione idem fit intra corpus: alimenta, & medicamenta vim habent contrariam morbosis qualitatibus, quæ existunt in corpore, vnde non solum illarum infectione non tanguntur, sed eis resistunt, illasque superant; at sanguis, licet adhuc non sit morbosus, & putridus, tamen aptus est talia vitia suscipere, & eò magis, si putridi sanguinis habeat miscelam, aut intra infecti

vasis-

vasis ambitum semper excurrat.

Neque persistendo in vini similitudine possunt dicere Transfusores, quod sicuti vinum austerum, aut debile potest dulcioris, & validioris miscelà corrigi, sic pariter, vel nimis calidus, vel corruptus sanguis potest infusione sanguinis temperatioris, & purioris æquè bene mutari. Respondetur enim, quod vel supponitur, talem intra venas, & viscera malè affecta decurrere, & sic quantum vis purus affundatur sanguis, nunquam mutabitur in melius, nisi prius talis à visceribus, & vasis tollatur malitia, sicut de vino fit, quod nisi ab infecto vase extrahatur, nullam potest recipere bonam conditionem. Vel supponitur talem sanguinem per viscera & vasà optimè constituta permeare at etiam in tali casu irrita fieret miscela, cum sanguis corruptus in maiori quantitate, & viribus existens, possit potius bonum inficere, quam in bonum commutari, sicut probauimus in prima Sectione Cap. 4. Sed tædet iam amplius inter vina versari, nobiliora nunc resumamus argumenta, & medico magis congenea.

CAPVT IV.

Nullis morbis vtilem esse Trasfusionem particulariter demonstratur.

SAnis profectò corporibus Transfusio non conuenit, sed morbosis, ijsque præsertim, in quibus ob morbi contumaciam omnia præsidia. quæ medicina suppeditat prorsus irritè sunt experta, quibus certè nullam afferre potest vtilitatem, cum vires amplius in illis non adsint ad talem operationem ferendam, & ab exinanito calore, spiritibusque iam fatiscentibus, vlla amplius admitti in corpore restauratio non possit. Verum cum non solum antiquatis ægritudinibus, sed etiam recentioribus, & acutioribus nonnunquam adhibeatur, non erit absre singillatim precipuos morbos recensere, ac rationes, quibus illis congrua videri posset Transfusio, refellere, vt sic illa magis è propinquo, & consequenter fortius vulneretur.

Intemperies cum materia.

Ac primò agendum generaliter esset de singulis intemperiebus cum materià, vel sine materià, quas posset corrigere sanguis trans-

transfusus; sed sicuti conceditur calidum sanguinem v.g. vel frigidum, de sui natura intemperiem calidam emendare posse, vel frigidos humores excalefacere, ita negatur id assequi posse per Transfusionem, ob rationes pluries, & diffusè superiùs allatas, nempè quia spiritus viuidiores amittit, quibus possit rectè partibus vniri, illasque â contractà intemperie remouere: quia concitatiori, & violento motu ad illas pertingit, ex quo non valet perfectam facere mixtionem cum humoribus corrigendis; & quia demum potius à vitiatis humoribus coinquinatur, quam possit illos ipse corrigere, quare hic eadem repetere, superuacaneum prorsus foret: præterquam quod cum quælibet intemperies per aliquod symptoma, aut morbum sese manifestet, magis congruum visum est de illorum præcipuis singillatim hic mentionem facere, cum sic de ipsis etiam intemperiebus necessariò fiat sermo.

Et vt consueto ordine in hac enumeratione morborum progrediatur, à morbis capitis ducendum erit exordium, inter quos præcipui seligentur, ac maiori, quà possibile erit breuitate percurrentur. Occurrit primò Phrenitis, cui forsan Transfu- Phrenitis.

fio succurrere videretur, detrahendo feruentem sanguinem, qui in caput affluxit, & loco illius nouum, & temperatiorem immittendo. At sanguis transfusus cum sit arterialis, & cum partes biliosas etiam secum necessariò retineat cum calore & subtilitate, non potest leuamen cerebro inflammato largiri; requiritur maior frigiditas ad talem æstum temperandum, non solùm potentialis, sed quandoque actualis, (licet moderatior) ergò nisi piscium sanguinem infundant, nescio quisnam ad hoc possit esse vtilis. Insuper cum sanguis nouus à capite excalefacto plurimum possit attrahi, & ab inferioribus partibus illo repletis etiam comunicari, contraria profectò videtur eius immissio, cum Phrenitis non solùm euacuationem sanguinis à capite requirat, sed omnem præcautionem exposcat, ne illuc ab aliquâ parte perueniat; at cum impossibile ferè sit Phreniticos ad opus Transfusionis adaptare, superuacaneum est circa illam amplius immorari.

Vertigo

Similiter loquendum est de Vertigine, quæ cum ab agitatione spirituum animalium in cerebro oriatur, horum autem agitatio peculiariter dependeat *ab inordinatâ motione spiritus flatuosi per venas, & potissi-*

Sennert. lib. 1. pract. p. 2. cap. 4.

tissimum per arterias in caput effusi, vt ait Sennertus, crescet certe talis agitatio, & flatuosi spiritus cum sanguine motus in ipso egredientis, & ingredientis sanguinis confluxu, idque præsertim eueniet si supponatur circulatio; fient namque in tali sanguinum motu circulationes celeriores, vndè maior fiet etiam spirituum agitatio.

Veriùs Melancoliæ, & Maniæ conferre posse Transfusionem videbitur, cum vtraque præsertim à vitioso sanguine in corpore existente, & ad caput confluente dependeat, & in Transfusione is euacuetur, ac in eius locum alius ponatur, qui minus crassus sit, & minus furens, adeò vt spiritus gignat, vel minus feruidos, vel minus tenebricosos, ex quibus hæ affectiones excitari non possint. Verùm quoad Maniam eædem prorsus valent rationes, quæ circa Phrenitidem adductæ fuerunt, & hic repetendæ non sunt. Quoad Melancoliam verò dicendum est; quod quamuis concedi posset quod sanguis immitteretur purior, qui posset in posterum spirituum puriorum eleuatione cerebri vmbras, & caliginem remouere (quod tamen difficile est, cum tales spiritus obscurari citò possint à Melancolicà, & vitiosà cerebri constitutione) attamen tum in ipso

Mania.

Melancolia.

actu

actu Transfusionis magna noxa infligeretur, tum postea nulla considerabilis sequeretur vtilitas: probatur prima pars, quia Melancolici leniter sunt tractandi, vt ait Hippocrates; at maximè concutitur, & agitatur corpus dum sanguis ingreditur, & exit, multæque possunt intra cerebrum inde fieri confusiones spirituum, quæ imaginationem magis confundere valent, & præsentia deliramenta adaugere; nec non potest in ipsà sanguinum commotione aliquis vapor à Melancolico sanguine ad vitales partes impetu ferri, & syncopem efficere, qua frequenter melancolici tentari solent non sine leui periculo. Multò magis potest Melancolicis hæc operatio esse noxia, cum eorum deliria vt plurimum intra mortis pericula, & terrores versentur sequè vel supplicio damnandos, vel violento casu, aut vulnere ob insidias, & odia perituros opinentur; ergò difficillimè, vel saltem non sine magnà terroris inuasione sese subijcient Transfusioni, dum se ligatos, vulneratosque aspicient, ac bruti quoque carnificinam ante oculos habebunt, vndè non nisi nouum mortis genus sibi paratum judicabunt; at Melancolicis, non solùm rerum tristium aspectus, sed vel breuis de infaustà re sermo non conuenit.

Post

Post Transfusionem autem nec vtilitas posset subsequi; quandoquidem in Melancolicis non adest solum vel sanguis; vel spirituum intemperies, & opacitas, sed maligna quædam qualitas; vt vult Platerus, seu vt explicat Sennertus; *occulta dispositio; quod ex eo patet; quod si imaginationi eorum satisfit, sanitati restituuntur*, sicut pluribus accidit, qui non ex alia causa sanati sunt, quam vbi viderunt propriam imaginationem adimpletam; cuius rei exempla multa sunt apud Auctores; ita Alexander Trallianus refert Melancolicæ puellæ non aliter imaginationem de serpente intra eius corpus incluso, tolli potuisse quam indito clam in vase serpente, in quo illa vomitorium medicamentum reddebat, credens se vna cũ alijs humoribus illum eiecisse vi illius medicamenti. Patet ergo Transfusum sanguinem non posse radicitus Melancoliam tollere, quamuis aliunde posset humores, & spiritus temperare, quod cum æquè bene, imò meliùs possint cætera medicamenta præstare, in leuibus Melancolijs frustra adhibetur Transfusio, & cum in contumacibus, vt dictum est, talis temperatio non sufficiat, superuacaneum itidem est eandem adhibere.

Sennerti lib. 1. pract. p. 2. c. 8.

Alex. Trall. l. 1. c. 17.

Post-

Postquam hæc jam diù exarata fuerant, Romam appulit Epistola quædam ex Gallijs, qua narratur Maniacum quendam beneficio Transfusionis curatum fuisse: hæc Epistola indubitatam meretur fidem, tum ob Gallici scriptoris auctoritatem, tum ob ingenuitatem eruditissimorum Virorum, qui eam Typis comiserunt, reticere tamen non possum qùid de tali curatione sentiam, ac primò mihi videtur valdè difficilè quod vitulinus sanguis in illum transfusus, vt asseritur, præ sui crassitie potuerit ægroti sanguinem temperare, ac incrassare, quia talis sanguis erat arterialis, & consequenter non poterat habere tantam partium crassitiem, nec adeò temperatus poterat esse, etenim feruorem & calorem ingentem excitauit in corpore statim ac ingressus fuit. Secundò, probabiliter censeri potest hunc Maniacum non esse perfectè curatum, siquidem ille per interualla tantum solitus est hac affectione detineri, cur ergò fieri non potest vt sanus ideò sit factus, quia completum est tempus talis inuasionis cum periculo tamen ne iterùm reuertatur. Tertiò, potest rationabiliter dici, quod etiam si totaliter, & perfectè sit curatus, non tamen id propriè, & directè factum fuerit à Trans-

fusione,

fusione, sed solum indirectè, & per accidens, quatenus scilicet transfusus sanguis totum corpus agitauit, & ex tali agitatione subsecutus est sudor magnus, præcipuè capitis, educta est tum infernè, tum supernè magna humorum copia, subsecuta tandem est nigræ vrinæ euacuatio considerabilis, ex quibus omnibus materia peccans vel egressa est à corpore, vel saltem à parte affectà plurimum distracta, & inde leuatus est æger; nullam tamen laudem meretur Transfusio si taliter est operata, cum potius casui, aut illorum humorum dispositioni, quam propriæ illius virtuti fœlix iste euentus sit adscribendus.

Soporosis saltem affectibus illa juuabit, cum possit frigidos humores in capite existentes nouo sanguine calefacere, & hinc somnum facilè pellere, prout similiter refertur euenisse in Galliâ, vbi juueni ex diuturnâ febre, & immodicis sanguinis emissionibus in comatosum affectum, & internorum sensuum detentionem delapso, per Transfusionem Agnini sanguinis restituta fuit pristina functionum alacritas, & somnus exactè depulsus. Sed pari modo, ac calidis morbis non succurrit, nec etiam frigidis opitulatur Transfusio, quandoquidem non sola **Affectus Soporosi**

rigi-

frigiditas humorum somnum præternaturam valet inducere, cum frigida quandoque humorum colluuies caput repleat absque vllà somni agitatione, nec non multæ res calidæ ac humores feruentes plerumque suis euaporationibus somnum morbosum gignant, sed requiritur in humoribus qualitas quædam narcotica, qua spiritus animales deuinciantur; hæc autem qualitas ad caput eleuatur, vel à febribus malignis, vel ab ebrietate, & crapulà, vel à deleterijs rebus, vndè nisi sanguis secum ferat aliquas qualitates, quæ directè possint hisce causis resistere, nullum præstabit effectum, cum non sufficiat quod sit purior, & calidior, sed requiratur, vt vel alexipharmacam virtutem vltrà has qualitates secum habeat, vel aliundè tales causæ remoueantur vi aliorum medicamentorum. Quinimò potiùs periculum est ne suis calidis euaporationibus iste sanguis caput magis repleat, & somno reddat paratius. Specialiter autem in Lethargo non confert, in quo infarcitur pituità cerebrum, sed febris etiam adiungitur, ob talis pituitæ putrescentiam, &, vt aliqui sentiunt, ob eandem ibi in apostema collectam, igitur si sanguis transfusus hunc morbum curaturus, dum ad cerebrum pertingit,

Lethargus.

tingit, frigidi ſit temperamenti, non diſſo-luet certè pituitæ congeriem; ſin calidus ſit, eiuſdem putreſcentiam adiuuabit, & ad apoſtema magis diſponet cum febris augu-mento; quare qualiſcumque is accedat, morboſam cauſam non tollet.

Quoad experientiam allatam de juuene ſtupido, & ſomniculoſo, tali ſanguinis immiſ-ſione ſanato, aduertendum eſt, quod, vt narratur, miſſus illi fuit ante Transfuſionem ſanguis craſſus, & nigerrimus: at talis ſangui-nis nigredo non ab eius frigiditate prouenie-bat (cum ſupponi non poſſit in ſanguine intra corpus exiſtente tanta caloris diſſipatio, quæ nigrediñe efficiat, prout euenit cæteris mem-bris cum ſphacelantur) ſed vel à mixtione me-lancolici humoris, vel ab eiuſdẽ ſaguinis adu-ſtione, vel ab affluentiâ fuliginum; ergò non ob caloris inopiam in ſanguine impediebatur animalium ſpirituum generatio, & actiuitas in tali caſu, & ſi ſanguis transfuſus immix-tus rectè fuiſſet cum tali ſanguine, eumque fermentaſſet (vt Transfuſores aiunt) potius comatoſos affectus confirmaſſet, aut alia incommoda peperiſſet; vel enim talis ſan-guis melancoliâ redundabat, & ſic tetri va-pores ad cerebrum aſcendiſſent, vel nimium aduſtus erat, & ſic per alterius ſanguinis

ingreſ-

ingressum & commotionem, euaporationes calidæ magis caput infestauissent. Dicendum ergò erit illas affectiones factas fuisse ab ipsa naturà potiùs ad bonum ipsius indiuidui, quam ad detrimentum, nempè cum à vehementiori & diuturno morbo, ac immodicà sanguinis missione spiritibus, & calore plurimum depauperatum fuisset corpus, Natura prouida, vt indiuidui reparationem moliretur; non solùm illud optimis cibis restaurari voluit, sed etiam ab omnibus internis operationibus maiori ex parte feriari, in quibus meliorum spirituum fit maxima dissipatio, vndè etiam somnum induxit, in quo reuocato ad intra calore, non fieret eius dissipatio, sed deperditi reparatio: sic passim videmus cæteros ægrotos post grauem morbum fatuos, immemores, & somniculosos diù permanere. Restaurabantur igitur in tali ægrotante spiritus, & internarum potentiarum vigor sensim reuiuiscebat, licet exteriùs non appareret; sanguis verò transfusus, si aliquid in tali casu operatus est, nil aliud certè fecit, quam proprio calore, ac vi, qua ingrediebatur, confertim spiritus, qui paulatim distribuebantur ad organa potentiarum impellere, & ibi violenter operationes excitare, eo prorsùs modo,

dò, quo operantur cætera medicamenta, quæ ad id adhibentur, quæ nihil aliud faciunt, quam dispersos spiritus in vnum colligere, & eos sic commotos simul omnes in sopitam partem impellere. Hinc suspicari licet, quod ob talem violentiam naturæ gradatim operanti, illatam quamuis præsentanea vtilitas sit subsequta, ea, vel parum durabilis fuerit, vel aliquod aliud incommodum indè corpori addiderit.

Multò minus Apoplexiæ, aut Paralysi conferet hoc remedium, cum nec vim habeat ad aperiendas neruorum obstructiones, vt pateat animalibus spiritibus, ad illos aditus; nec possit occlusos in Apoplexià cerebri ventriculos aperire, ac adherescentem in illis pituitam illicò fundere, vel dissipare, præsertim cum morbus tam præceps tale auxilium ferre non possit, in quo vires oppressæ magis concidunt, & plurimum à sanguinis intra cor agitatione vitalis facultas, & respiratio possint periclitari, sed de hac iterum inferiùs fiet sermo. Apoplexia. Paralisis

Conuulsio vel à repletione fit, vel ab inanitione: illi, quæ à repletione prouenit; non aptatur certè Transfusio; illi verò, quæ immodicam corporis inanitionem subsequitur, videri posset commodè succurrendum Conuulsio.

F esse

esse transfuso sanguine. Sed aduertendum est cum doctissimo Sennerto, conuulsionem non à solà inanitione fieri, sed interueniente etiam aliquà neruosarum partium vellicatione ab exiccante causà progenità; nec item quamcumque exiccationem posse conuulsionem facere, vt notat Riuerius, sed eam tantum exiccationem, quæ confertim, & inæqualiter fit: igitur cum Transfusio sanguinem in conuulsum corpus confertim, ac impetu quodam immittat, non rectam potest imprimere in illo humectationem, ad hoc enim vt in conuulsarum partium substantiam sese insinuet humiditas, paulatim illis apponi debet, non violenter, cum præterea tali pacto totus sanguis irruens, cum sit calidus, & valdè subtilis, vellicationem cum humectatione possit inducere; quæ præcipuus est fomes conuulsionis.

Sennert. lib. I. pract. p.2. c.28

Riuer. lib. I. pract. c. 6.

Epilepsia.

Epilepsia similiter, cum fiat ab aurà quadam maligna, vel in ipso cerebro, genità, vel ab aliquà parte ad illud eleuatà, & non in sanguine consistat, sed in talibus partibus peculiari modo generetur, (sicuti narratur de eà Epilepsià, in qua ab imò pede vapor malignus deferebatur ad cerebrum) certè non tolletur nouà sanguinis immissione, sed potiùs medicamento, quod vim habeat

beat specialiter ad malignitatem illius vaporis, & materiæ, à qua eleuatur, disperdendam, quam sanè virtutem alexipharmicam non ita manifestè sanguis habet, vndè potus humani sanguinis à jugulo recenter mactati hominis extracti, qui ad Epilepticos vtilis censebatur, referentibus Plinio, & Cornelio Celso, non solùm ab ijsdem superstitiosum, & execrandum remedium existimatus fuit, sed à Sennerto prorsùs inutilis fuit declaratus, quinimò, & perniciosus; similiter ergò sanguis transfusus impotens ad Epilepsiam tollendam erit censendus.

Plin. l. 28. c. 1. C. Celsus l. 3. c. 23. Sennert. l. 1. pr. p. 2. c. 31 quęst. 15

Dolores capitis nec etiam Transfusione curantur, quod ex jam dictis colligi potest, & præcipuè cum sanguis ingrediens, suis vaporibus, ac subtilitate, qua præditus est, si ad caput trahatur, ibi commotionem, & continui solutionem necessariò excitet, ex quibus magis debilitatur caput, & dolori fit magis obnoxium.

Dolor Capitis.

Enumeratis capitis affectionibus, de morbis thoracis erit sermo faciendus, ac primo, quòd spectat ad Anginam, Pleuritidem, & Pulmoniam, hæ omnes sunt partium inflammationes, grauibus symptomatibus vt plurimum stipatæ, & celeri gradu progre-

Angina Pleuritis.

F 2 dien-

dientes, quibus non alio modo potest iuuare transfusio, nisi temperatiorem sanguinem ad eas partes afferendo, sed, vt dictum est de Phrenitide, hoc fieri non potest, cum longè maior frigiditas requiratur ad æstum inflammationis sedandum, quam quæ in sanguine arteriali cuiusuis animantis reperiri possit; & præterea morbi acuties, & ægrorum languor istam commotionem impunè ferre non possint. Dubitari solum posset de Pulmoniâ, cum pulmo à frigore lædatur, & sanguine arteriali nutriatur, & ideò ille nullam læsionem sentiret ab immisso sanguine calido, & arteriali. Sed licet hoc admittatur, tamen eò quia sanguis transfusus illico cor ingreditur, ac statim in pulmonem effunditur, nimiâ copiâ eum jam inflammatum grauare potest, ac impetu, quo fertur, & commotione, quam excitat potest insuper à reliquis partibus humores ad ipsum pulmonem ferre, & augere causam inflammationis; quandoquidem videmus aerem frigidiorem solâ caloris ad intra retractione pluries excitare Pulmoniam; ergò quanto magis id præstabit vehemens sanguinis motus intra ipsum pulmonem, & partes illi proximas excitatus?

Pulmonia.

Hæmophthisi, omnibusque hemorragijs ad

Hemophthisis.

ad nihil aliud valet Transfusio, quam ad suppeditandam assiduè morbi materiem, apertæ namque sunt venæ, immittitur intra ipsas sanguis actu subtilis, & calidus, vndequaque per illas fertur, ac tumultuariè quasi ab ipsis excipitur, quid ergo aliud expectandum erit, nisi vt per vias iam dilatatas exitum sibi facillimè paret? Quod si adhibeatur Transfusio ad reficiendum corpus à violentà aliquà hemorragià sanguine destitutum neque hoc fœliciter eueniet, cum possit nouus iste sanguis, eo quod tenuis sit, & violentus, facilè disruptas, seu rarefactas venarum tunicas penetrare, & potius ad egressum tendere, quam ad corporis refectionem, quam insuper ex se prestare non potest, cum ad restaurandum corpus debilitatum, & spiritibus exhaustum, non requiratur alimentum, quod violenter in partes impingat, & facilè præterfluat, sed aliquid, quod paulatim apponatur, & firmiter adhereat, cum retentrix facultas corporis ab emissione spirituum sit valde imminuta; quapropter comuniter in praxi emplastica medicamenta, & edulia in his casibus offeruntur, at Transfusus sanguis non est talis conditionis, nec paulatim peruenit ad partes reficiendas: ergo inutiliter adhibetur

tum ad refectionem corporis, tum ad consolidationẽ venarum, & sanguinis correctionem.

Phthisis

Ad Phthysim non conferet Transfusio, nisi ipsi vlceri in pulmone existenti medeatur, à quo omnia dependent incomodà, sed cum illud curare sit difficillimum, presertim si confirmatum aliquatenus sit, & sordidum, ideo patet cuique, Transfusionis cum hoc morbo inconuenientia.

Asthma.

Asthma, vel in ipso paroxismo consideratur vel extra paroxismum; in accessione certè non requirit Transfusionem; extra accessionem posset illam requirere ad preseruationẽ, maximè si admittatur opinio Sennerti statuentis Asthma prouenire ab humoribus serosis intra venas collectis, & per venam arteriosam in pulmonem effusis sed tales serosi humores cum ab Epate non rectè sanguificante fiant, & Transfusio non possit hæmatosis vitia corrigere, vt infra probabitur, procul dubio, irrita ipsa erit ad talem præseruationem.

Sennert. lib. 2. pract. p. 3. c. 2. q. 2.

Syncope

Syncope fit à spirituum vitalium defectu; hi verò spiritus vel deficiunt quia disperduntur, vel quia obruuntur. disperduntur in nimià aliquà euacuatione, obruuntur à vehementi sanguinis, & spirituum ad cor affluxu in Transfusione autem vehementer arteria-

lis

lis ſanguis in cor irrumpit, ergo ſpiritus in eo obruet, & Syncopem efficiet, non auferet.

Reſtant breuiter enumerandi morbi, qui infimum ventrem infeſtant, inter quos primò occurrunt ventriculi affectiones, quibus vel cibos non concoquit, vel ingeſtos non retinet, vel dolores ingentes ab eis aſſumptis patitur; ſed ad has omnes curandas requiritur aliquid, quod vel obſtructiones tollat, vel immediatè ipſi ventriculo, calorem adaugeat, vndè magis conferunt medicamenta calida per os aſſumpta, ſeù exteriùs illi appoſita, quam ſanguis intra venas infuſus, qui non adeò præſentaneum poteſt afferre remedium. Morbi ventriculi.

Sic inteſtinorum morbos nec ipſa curabit; quippe cum diarrhœa vel à cruditatibus fiat vel ab humoris alicuius exceſſu, cum Transfuſio ventriculi coctiones vitiatas corrigere non poſſit, à quibus harum rerum generatio dependet, nec illas jam genitas euacuare poſſit, infructuosè ad eam adminiſtratur. Diarrhœa. Dyſenteria partis vlceratæ medelam poſcit, at Transfuſio non adeò proximè alluit inteſtina, prout requireretur, nec vlcus arterioſo ſanguine lenitur, ſed potiùs medicamentis refrigerantibus, & humoris acrimoniam re- Dyſenteria.

tundentibus. Similiter dolores colici, & Iliaci actualiter imposita intestinis ipsis remedia præcipuè requirunt, non longissimo tractu per venas aduenientem sanguinem ad sui leuamen expectant, & cum sæpiùs ijs copuletur inflammatio ab accedente sanguine, non auxilium sperant, sed detrimentum.

Colica

Volu-
ulus.

Sed examinandum nunc est an Epati vel obstructo, vel inflammato, vel non sanguificanti, Transfusio opituletur, cum ex hoc multorum, & penè omnium morborum curationes dependeant; & quoad inflammationem, jam cum de phrenitide, & pleuritide fieret sermo, dictum fuit sanguinem arterialem impetuosè ingredientem non posse inflammationem lenire sed augere nam licet spiritus puriores, & nutritioni aptos in Transfusione ab vno ad aliud indiuiduum amittat, retinet tamen calorem, quo procul dubio est valde saturatus, at pro sedandis inflammationibus non additur, sed detrahitur parti affectæ humor, & si quis additur, is non solum potentialiter frigidus debet esse, sed etiam actualiter sicut praxis non docet quotidie.

Inflam-
matio
Epatis.

Quoad obstructiones, & prouenientia ab ipsis hæmatosis vitia, & totius parenchymatis àmetriam, dicendum est, quod si ex adeò

Obstru-
ctio E-
patis.

adeò excreuerint, vt visceris tonum inuertere potuerint, & inde deprauata sit sanguinis elaboratio, quantumuis sanguis calidus subtilis, ac purissimus immittatur, nunquam poterit in pristinum reduci, nec suas operationes ritè peragere nisi forsan aliud Epar de nouo ponatur in corpore, quod certè per Transfusionem assequi non potest.

Etenim quæ sanguinis affusio sufficiet ad restituendum, scirrhoso epati tonum, vel ad idem refouendum quando maximè refrigeratum est, & jam consueuit serosas colluuies gignere, & Hydropem excitare? vel dum excrementitios succos ad corporis nutritionem suppeditare non cessat, vndè cachectica fiunt corpora, & nutrientis succi conditionem ipso referunt in colore? Quibus etiam morbis non solum hac de causa non succurrit Transfusio, nempe quia tollere non potest perennem causæ morbificæ generationem, sed etiam quia, vt diximus, vel in Transfusione sanguis amittit spiritus illos nutritioni præcipuè inseruientes, vel si non amittit, fertur tamen ad partes nimis vehementi attractione, & non potest illis rectè apponi, ac earum substantiam reficere. Quæ de Epate dicta sunt, proportionaliter de Lienis affectionibus dici possunt, & de Morbo Hypocon-

Hydrops.

Morbus Hypocondriacus.

pocondriaco, cui alia quoque de causà repugnare posset Transfusio, eà nempe, qua Melancolicis non conuenire dictum est, ob agitationem, quam intra corpus facit, & ob caloris commotionem, qui in hypocondriacis dum agitatur, noxios valde parit effectus,

Restarent plures alij morbi enumerandi, sed vel ad illos nullo modo adhiberi potest Transfusio, vel rationibus supradictis quisque arguere potest eam ipsis non esse salutarem, aliqui tantùm erunt examinandi in sequenti capite, qui particularem merentur animaduersionem.

CAPVT V.

Sequitur enumeratio reliquorum morborum, quibus Transfusio non conuenit.

Febris ephemera.

FEbrium importunos calores si Transfusio posset extinguere; oportuna sanè, ac vtillima censeretur, quod vt exactè dignosci possit, febrium est facienda diuisio, ac in singulis earum speciebus videndum est, an ijs aptari possit Transfusio. Febres itaque comuniter diuiduntur in Ephemeras, Putridas,

das, & Hecticas. Ephemerarum non est hic facienda mentio, cum nullam sanguinis infusionem exposcant, sed solummodò excalefacti emissionem, qua febres istæ de sui naturà breues, citius iugulantur.

Putrida.

Putridis febribus conuenire posset Transfusio, expellendo scilicet à venis putridos humores, & loco illorum bonum sanguinem reponendo, & sic omnem febris causam auferendo, si enim prodest in talibus febribus Phlebotomia, eò quia sanguinem putrescentem, & excalefactum euacuat, multò magis proderit ipsa Transfusio, per quam non solum peccans sanguis euacuatur, sed insuper loco illius tantundem boni reponitur.

Attamen febriles flammas magis potest augere, & putrescentium humorum insultus fouere Transfusio. Quinque statuit Galenus causas febrium, motum, putrefactionem, contactum rei calidæ, eiusdem admixtionem, & impeditam fuliginum euaporationem per poros cutis obstructos, quarum causarum vnaquæque singillatim valet febres, præsertim putridas, excitare; si ergo probabitur, per sanguinis Transfusionem aliquam ex his causis in corpore jam febricitante adaugeri, manifestum quoque erit,

Galenus de caus. morb. c. 2. Lib. p. de diff. febr cap. 3.

Trans-

Transfusionem non curare febres putridas, sed fouere. Et primò quod attinet ad motum, is certè per Transfusionem intra corpus excitatur, cum, vt pluries diximus, commoueatur tota sanguinis massa, & omnes spiritus agitentur, motis autem, & in partes copiosius concitatis, ac collectis spiritibus cum sanguine, corpori calor intensior ab eorum concursu comunicatur, & à tali calore febris potest accendi Secundò potest à Transfusione putredo, si non fieri, attamen jam facta augeri, vel conseruari, cum humoribus jam putrescentibus immisceatur sanguis alterius indiuidui, qui, vt suprà annuimus, cum in minori copià infundatur, quam sit sanguis, qui jam putruerat in corpore, facilè illius inquinatur putredine, & maximè cum secum afferat nouum calorem, qui putridas exhalationes magis eleuare valet, & illis febrem accendere. Tertiò contactus rei calidæ, & eiusdem permixtio intra corpus, exactè experitur per Transfusionem: si enim calidorum balneorum affusio, si diutina sub sole mora, si calidæ res corpori exterius applicitæ per venas & arterias cordi calorem comunicant, & febrem accendunt, id multò magis euenit in Transfusione, in qua non extrinsecus caliditas

liditas corpori aduenit; sed intra ipsas venas infunditur calidus sanguis, qui vehementer intra cor ipsum impellitur, vndè multò maiorem calorem & vehementiorem febrem valet excitare: & pari ratione si permixtæ cum sanguine res calidæ velut cibi calidiores, medicamenta calida, aer feruidus, febrium sunt causæ, & tamen non illicò miscentur sanguini, sed prius diuersis in locis præparantur, in quibus propriæ efferuescentiæ non nihil amittunt, procul dubio id multò magis eueniet ex permixtione sanguinis arterialis, qui statim cætero sanguini immiscetur, nec pacatè illi associatur, sed concitato motu illum inuadit. Vltimò restat examinandum an Transfusio possit impedire fuliginum euaporationes, & sic febrem caussare, quod valde dubium videtur, cum ratione caloris, & motus, potius valeat contrarium efficere. Repetendum igitur est quod in hac Sectione Cap. 2. diximus, scilicet, quod si sanguis transfusus ad vltimas corporis partes peruenit, debet necessariò illuc attrahi violenter, & quod sic attractus non potest perfectè in carnium substantiam transire si autem hoc fit, cumulantur circa corporis ambitum cruditates, & viscidi succi, qui internarum fuliginum per cutis poros exhala-

exhalationem cohibent, vndè oriri potest febris; ergò patet quomodo Transfusio possit hac etiam de causâ febrium promouere calores.

Conuenientiam Transfusionis in febribus nituntur probare nonnulli, eò quia melior sit quam phlebotomia, quæ comuniter præstantissimum remedium censetur ad febres; etenim in phlebotomià simul cum corrupto sanguine bonus etiam educitur, & subtilior egreditur, remanente intus crassiori; at in Transfusione non solum non egreditur bonus sanguis, sed alius insuper additur perfectior, & purior. At isti parum sollicitam de indiuidui salute Naturam prædicant, quandoquidem ipsa, dumodò non sit prostrata, nititur quantum valet peiores partes sanguinis educere, retentis apud se melioribus, quod ex misso sanguine apparet, qui ferè semper corruptus cernitur: Et licet quod obijcitur, esset verum, dicant quæso isti, dum Transfusionem celebrant, nonne sanguinem etiam mittunt? ergo si per venæ foramen purior exit remanebit in corpore prauior, qui eò magis aduenienti sanguini resistet, ac eum sua prauitate fœdabit: similiter si subtilior exit, crassior intus remanebit, qui cum immisso nouo sanguine ad corporis ambitum

attra-

attractus, facilius præ sui crassitie poros infarciet, & inhibebit transpirationem fuliginum, ex qua febris oritur, vt iam diximus.

Inter putridas febres considerandæ veniunt febres malignæ, quibus sicuti ad resocillandum cor à maligna qualitate vexatum, calida, & alexipharmaca medicamenta prosunt, multò magis prodesse poterit purus sanguis in ipsum met cor penetrans, illudque naturali calore reficiens. Non ideò tamen ipsis adhibenda videtur Transfusio tum ratione causæ morbificæ, tum ratione symptomatum; non quidem ratione causæ, quia *febris maligna non in simplici temperamenti immutatione consistit, aut vulgari putredine, qualis in cæteris putridis febribus reperitur, sed in totius naturæ, insiteque substantiæ destructione quemadmodum vinum dum in acetum conuertitur omnimodam corruptionem patitur*: (ita Riuerius) at Transfusus sanguis hanc substantiæ reparare non potest destructionem, nec huic deleteriæ qualitati resistere, cum nullam habeat alexipharmacã virtutem, qua hæc qualitas oppugnetur, sed solum calorem, & meliorem substantiam, quibus non sufficienter tali malignitati resistitur, quinimo, vt alibi dictum est, ipse quoque deprauabitur dum

Febris Maligna

Riuerius l. 17 prax. sec. 3. cap. pr.

vene-

venenatis immiſcetur humoribus; ſicuti enim acetum, quod eſt vinum omnimodè corruptum, qualem cumque humorem ſuis inficit qualitatibus, ſic maligni humores, qui à bonorum totali corruptione ſunt geniti, infuſum ſanguinem, licet optimum, ſuam trahent in naturam quandoquidem ſi corpora his morbis detenta, non ſolum per halitum, ſed per veſtium contactum alios tali inficiunt contagio, non video cur infici non debeat ſanguis qui malignæ cauſæ permiſcetur intra infecti corporis penetralia. Ratione ſymptomatum, quibus comitantur malignæ febres, Transfuſio non conuenit, cum ea ſint grauiſſima, & vires ſint maximè proſtitutæ, & in ipſa plurimum agitetur corpus ac, intra ipſum cor maxima fiat confluentium ſanguinum commotio. Quod de his febribus dictum eſt, proportionaliter dici poteſt de quibuſcumque venenis intra corpus aſſumptis, vel ab aliquo animali illatis, ſicut ſunt morſus ſerpentum, & canis rabidi, quæ venena cum ſuis peſſimis qualitatibus totam humorum maſſam corrumpant, non poſſunt à Transfuſione curationem recipere, cum a ſolo ſanguine tolli non poſſit eorum prauitas ſed potius poſſint ipſa aduenienti ſanguini ſua miaſmata comunicare; & hoc etiam

aſſeren-

afferendum eſt de lue venerâ, quæ non ſolâ intemperie, ſed prauâ etiam qualitate vexat ægrotos.

De Hecticis febribus nunc erit ſermo faciendus, quarum curatio conſiſtit in febris fixo, & contumaci calore ſedando, ac partibus conſumptis reſtaurandis; neutrum autem efficere poteſt Transfuſio; non poteſt minuere calorem, ſiquidem, ſicut loquendo de cæteris morbis calidis diximus, nullum leuamen excalefacto corpori poteſt afferre ſanguis arterialis violenter illi adueniens, & ſicuti ſi in excalefactum vas humor aliquis inijcitur, ſtatim ipſe quoque calefit, dumodo non ſit adeo frigidus, vt poſſit vaſis calorem extinguere ita prorſus, ſi in corpus fixo calore imbutum infundimus ſanguinem non frigidum ſed actû valdè calidum, non extinguetur in corpore calor: ſed potius ſanguini comunicabitur, vndè intemperies ipſa magis augebitur. Nec poteſt Transfuſus ſanguis partes conſumptas reſtaurare, cum vt diximus, ſpiritus præcipuos nutritioni inſeruientes in itinere amiſerit; cum indebito modo, & nimis violenter à partibus exugatur, vndè non poteſt firmiter illis aſſimilari; ac tandem cum calidus, & ſub- Hectica

tilis sit, pro tali autem restauratione requiratur alimentum tenax, crassum, ac temperatius.

Senectus.

Conuenit cum Hectica senectus, in qua ob natiui caloris dissolutionem, & humidi substantifici consumptionem corpus minuitur & contabescit; huic autem, quamuis infusio vegeti sanguinis prodesse videatur, cum secum ferat noui caloris, & melioris humiditatis munera, non tamen vllum præstat auxilium, cum valeat senum calorem penitus extinguere, non augere, namque, vt ait Galenus *ceù ventulo quodam excitari, accendique calor eorum desiderat, vehementiore autem motu deijcitur*, at in Transfusione vehementer in eorum corpora sese sanguis insinuat, impetuosè accedit ad viscera, vndè senilis calor, non refectionem suscipere potest, sed maiorem dissipationem: Illorum præterea facultates sunt admodum debiles, quare licet sine proprij caloris detrimento nouum sanguinem reciperent, nec illum attrahere valerent ipsorum partes, nec concoquere viscera, nec diù retinere, aut sibi ipsis perfectè assimilare.

Galenus 5. de sanit. tuenda c. 3.

Obstat ijs, quæ diximus Marsilij Ficini remedium ad restaurandam senum conditionem, ille namque senio confectis suadet, vt more

Ficinus lib. 2. de vita prod. c. 11.

more hirudinum, adolescentis bene temperati sanguinem sugant ex brachij sinistri venà vix aperta, sicuti striges faciunt, sugendo infantium sanguinem, vt pro viribus iuuenescant. Sed paritas in casu nostro non valet, siquidem paulatim exugitur à languidis senum labris in illo casu sanguis, nec sicuti in Transfusione illicò per corporis penetralia totus discurrit velociter, & sic fatiscentem calorem non adeò commouere, nec dissipare valet; ac cum sit sanguis sani adolescentis, propter naturæ congeneitatem plus potest vigoris infundere, quam brutalis, qui per Transfusionem immittitur: nec præterea vllum incommodum patiuntur senes in illa operatione, sicuti in Transfusione sustinent, cum nec vulnerentur, nec ligentur, nec incommodè vllo modo detineantur; ergo facilius senibus conferre posset Ficini remedium, quam recentiorum Transfusio.

Verum nec illud congruum censeri debet ad senectutis leuamen, (parcat doctissimi viri venerabilis fama) quandoquidem debilis senum stomacus, qui facillimæ coctionis cibos vix potest digerere, multò minus concoquet crudum sanguinem, qui cum extra venarum ductus effundatur, posset etiam intra ventriculum coagulari, quam

Ficinus ibidem.

ſanè coctionis difficultatem odoratus ipſe Ficinus, ſubiungit: *Si crudus agrè concoquitur, coquatur prius, vnà cum ſaccaro, vel ad aquam calidam moderatè deſtillet ſaccaro mixtus, & deinde bibatur*, ſed cum ſanguis proprijs ſpiritibus deſtitutus ad nihilum valeat, in ijs autem coctionibus omnes hi euaporent, non tam præſentaneum auxilium certe poterit languentibus ſenibus comunicare: Sugitur inſuper ſanguis venalis, qui ſecundum dogmata circulationis eſt ille ſanguis, qui à partium nutritione ſuperabundauit, ac proinde conſumptis melioribus partibus, iterum ſeſe reducit ad cor, vt illas denuò reſumat; igitur non afferet ſenibus conſiderabilem refectionem caloris, cum ipſe met illum iam amiſerit, & cum craſſus ſit, & fœculentus. Nec valet tandem Sagarum exemplum, quod affert Ficinus, dici enim poteſt, quod illæ non tam ad proprij indiuidui refectionem infantium ſanguinem exugant, quam ad explendam rabiem, & nocendi pruritum, quo in humanum genus feruntur, dum vt illud eradicent, tenella germina vix nata adoriuntur. & perdunt. At ſi ad propriam vigoris conſeruationem id molirentur perditæ illæ mulierculæ, ac indè expetitum robur aſſequerentur, ratio-

nabili-

niabiliter credi posset, illud fictitium esse, non verum, cum pessimus Dæmon illas deludat, ac in omnibus apparenter ijs satisfaciat vt sibi eas maiori deuinciat seruitute; & si quandoque verum robur ipsis augeretur, non tam naturaliter inditum ab illo sanguine id esset, sed ab ipso Dæmone alijs modis illatum. Non ergo licet ex istis casibus argumentari ad omnes, nec barbaras humani sanguinis potiones, & dæmoniacis familiares, in vsum comuniter vertere.

Non inde tamen superbiat Transfusio, nec proinde se vtilem prædicet, cum omnia inconuenientia prædictæ suctionis euitet, cum, si ista non parit incomoda, alia tamen secum afferat, quæ supra recensuimus, ex quibus non minus inutilitatis, ac incomodi persentitur. Liberè tamen inde suam iactet antiquitatem à prædicta sanguinis suctione deriuantem, vltrò enim concedo, sed gratulari non possum, cum Sagarum imitetur exempla, & pro sui origine, barbarum humani sanguinis potum agnoscat. Quin imò maiorem illi antiquitatem tribuo, cum vel ab ipso Ouidio fuerit indicata (sicut mihi eruditissimus vir ostendit) & quoquomodo descripta, dum postquam narrauisset filias Peliæ ad Medeam confugisse, vt suà virtute

patrem senescentem ad juuenilem ætatem reduceret, introducit illam ad opus dispositam sic ipsas alloquentem.

Ouid. 7. meta- morph.

Stringite ait ferrum, veteremque haurite cruorem
Vt repleam vacuas juuenili sanguine venas;

quibus verbis opus Transfusionis, eo modo, quo nunc fit explicatur; at pariter nullam famam inde adipiscitur, cum etiam in hoc casu declaretur valde crudelis operatio quæ Medeæ crudeli fœminæ adscribi debeat, quæ tamen in crudeliorem finem illam instituit, vt senem Regem à proprijs filiabus necari faceret, non vt illi juuenilem vigorem restitueret vt sic antiqua odia proditorio hoc opere satis expleret.

Libauius in defen. syntag. arc.chi. mic.

Nec meliorem obtinet sortem Transfusio in exactissima sui descriptione, quam apud Andream Libauium vir doctissimus inuenit, vbi ostenditur illam non tam nostris diebus excogitatam, sed etiam inter huius seculi initia cognitam fuisse, non, inquam meliorem obtinet sortem, cum existimetur opus Chimericum, & quisquis illa vtitur, parum sanæ mentis homo iudicetur, ac proinde asseratur, illum Helleboro indigere; placet eius verba hic referre: *Ille verò noster quo quaeso*

quaso remedio putabat se ista insperata consequi posse? Adsit juuenis robustus, sanus, sanguine spirituoso plenus; adstet exhaustus viribus, tenuis, macilentus, vix animam trahens. Magister artis habeat tubulos argenteos inter se congruentes. Aperiat arteriam robusti, & tubulum inserat, muniatque: mox & ægroti arteriam findat, & tubulum fœmineum infigat. Iam duos tubulos sibi mutuo applicet, & ex sano sanguis arterialis calens, & spirituosus saliet in ægrotum, vnaque vitæ fontem afferet omnemque languorem pellet. Sed quomodo ille robustus non languescet, danda ei sunt bona confortantia, & cibi; Medico verò elleborum.

Restat videndum an articularibus morbis & cutaneis affectibus Transfusio succurrat, de quibus breuiter dicendum est, articulares morbos fieri non tam ab acredine, & salsedine humorum ad articulos decumbentium quam à tartaro quodam ipsi sanguini permixto, & peculiariter ad articulos descendente, hunc autem tartareum humorem gigni ab Epate non tam excedente in primarum qualitatum intemperie, quam habente peculiarem vim generandi talem humorem sicuti habent renes peculiarem vim generan- Arthritis.

di arenulas; ex quibus patet, immissum sanguinem, licet possit iecoris intemperiem remittere, & humorum retundere acredinem, non posse tamen, nec sanguini tartareitatem demere; nec iecori tollere aptitudinem ad tartareum humorem procreandum cum sanguis infusus non habeat qualitates ad id respicientes, nec peculiarem energiam ad talem tartarum dissoluendum; quam sanè si haberet, alio etiam nomine posset affectionem augere, cum ad dissoluendum tartarum, & terrestreitatem illam, quam in articulis deponit tartareus sanguis, requiratur magna subtilitas, acuties, & calor, quem si infusus sanguis haberet magis posset calidam viscerum intemperiem augere, & ita ad causæ morbificæ augumentum quoquomodo concurrere: insuper, cum vel ab interna vel externa corporis agitatione humorum fluxio ad articulos conciterur, in Transfusione autem fiat intra corpus non leuis humorum agitatio, videtur, ipsam potius arthriticos dolores commouere posse, non autem præcauere.

Morbi cutanei. Cutaneæ affectiones non solum à proprio humorum vitio fiunt; sed etiam ab impetuoso illorum affluxu ad cutim, sic cum sanguis intempestiuè ad peripheriam corporis effer-

effertur, plura accedunt cuti incomoda, & cum ad ipsam nimis celeriter humores crudi trahuntur, vel in ea tertiam coctionem perfectè non recipiunt, scabies, & mille fœda inquinamenta colliguntur, vndè damnat Riuerius vehementem corporis motum post cibum, non solum quia coctionem in ventriculo impedit, sed etiam quia attrahuntur nimis citò crudi succi ad corporis ambitum, & ibi scabiem pariunt, propter quod ipse asserit Scholares sæpissimè scabie laborare, quia statim post cibum nimis corpus commouent, vel ludendo, vel currendo. Cum igitur, vt probatum est, in Transfusione nimis properè sanguis attrahatur ad corporis peripheriam, ita vt non detur tempus ad perficiendam ibi talis sanguinis coctionem, vt partibus assimiletur, sequitur, potius per ipsam suppeditari fomitem causæ morbificæ in cute jam existenti, quam tolli.

Riuer. l. 4 inst. cap. 27.

Hæ sunt rationes, quæ singulis morbis recensitis aptatæ sunt, præter vniuersales priùs allatas, vt peculiariter demonstraretur nullis morbis conuenienter aptari Transfusionem, quibus aliæ insuper addi possent, sed sufficienter videtur hisce adductis probata illius inutilitas.

SECTIO

SECTIO TERTIA

TRANSFVSIO REPVGNANS

CAPVT PRIMVM

Demonstratur Transfusionem repugnare Medicinæ dogmatibus.



Xpositis jam præcipuis in Transfusionem argumentis, placet adnectere rationes nonnullas, quibus probetur, illam non solum inutilem, & incertam esse, sed repugnantem, vt abunde in omnibus satisfiat Lectoribus, neuè illis motiua desint, quibus ipsam aspernari possint, & reprobare; & præcipuè consideranda venit repugnantia, qua legibus Medicinæ aduersatur, ob quam nullius prudentis Medici, qui verè cupiat exactam medendi normam seruare, mereatur assensum (parcant, qui vsque huc illi fuerunt assentiti.)

Comunissimum Medicorum præceptum est, vt medeantur citò, tutò, & jucundè, nul-

nullum autem ex his explet qui per Transfusionem medetur, ergo boni medici partes non adimplet. Non medetur quidem citò; nam per plures vices debet Transfusiones repetere, iuxtà comunionem transfundendi methodum, & quidem per vices inter se bene distantes, ne virium subsequatur immoderata iactura, vndè non minus temporis in repetenda Transfusione consumitur, quam in propinatione cæterorum medicamentorum: Si autem loquamur de ipso actu transfundendi, neque is citò perficitur, cum per multum tempus detineatur æger dum vena brachij preparatur, dum adaptantur tubuli, dum sanguis immittitur, qui non est violenter statim totus immittendus, vt melius se habeat operatio. Nec etiam citò superat causam morbificam tale remedium, æquè enim illa resistit sanguini aduenienti, ac cæteris medicamentis, imo magis resistit, cum cætera medicamenta non solum primis qualitatibus contra illam pugnent, sed peculiari insuper vi vt plurimum ipsam aggrediantur. Solum videtur quod citò ad partem affectam perueniat sanguis transfusus, cum pertransire non debeat per tot viscera, sicut cætera medicamenta, in quibus plurimum sui vigoris illa deperdunt; Sed non

sem-

ſemper neceſſarium eſt, vt tam citò remedia attingant locum affectum, conuenit enim plerumque, vt eorum vis refrangatur antequam ibi perueniat, vt ſcilicet paulatim inducatur in illam partem contraria temperies, quoniam non minus ea læderetur à ſubitaneo acceſſu remediorum, reſtituentium ei priſtinam incolumitatem, quam læſa jam fuiſſet à cauſâ morbificâ ſimiliter in eam irruente, & efficiente ſubitam mutationem, quare cætera medicamenta per os aſſumpta, ex eò quod per plura viſcera pertranſeant, non deperdunt ſuam vim, ſed potius augent cum non irruant illicò in partem laborantem ſed ſuam vim in itinere quoquomodo remittendo efficacius operentur, licet ſuauius, ac etiam cum tali pacto ac in viſceribus alimenta coctionem acquirunt, illa quoque aliquàliter, quaſi per deſtillantia vaſa tranſcolentur, ac deſtillentur, vt inde poſſint omni depoſitâ impuritate melius oppugnare peccantem materiam: Nec vllum periculum eſt vt tranſeundo per viſcera multoties infecta, ſimiliter illa inquinentur, cum habeant in ſe qualitates potentes ijs infectionibus reſiſtere, ac adeò auidè ab ipsâ naturâ attrahantur ad partem, vbi ipſis opus eſt, vt non poſſint per diutinam commorationem

existentia in primis vijs inquinamenta vllo modo recipere.

Nec tutò medetur qui adhibet Transfusionem, recensita siquidem superiùs abundè sunt pericula, quæ possunt ab illà excitari ob maximam agitationem, quam intra corpus parit ob diuersorum sanguinum inter se commixtionem: quæ sanè agitatio non admodum tuta est in ægris corporibus, & maximè in ijs, quæ jam diù à pertinaci morbo fuerunt detenta. Tuta præterea non est Transfusio, quia, vt probatum est, adhuc incerta permanet, nec efficacibus experimentis pluries, & satis est confirmata. Nec tandem iucundè medetur, cum ægrum vinciat vulneret, plurimum in ipsà operatione incomodè detineat, maximèque concutiat, & agitet.

Indicationes sunt exactè à Medico considerandæ, si verà medendi normà vult vti, ac fœlicem de morbis referre victoriam; considerandum igitur erit, an qui Transfusione vtitur in morbis curandis, optimè indicationibus satisfaciat. Ac prius supponendum est Transfusionem esse remedium magnum, sicuti est Phlebotomia, ac illà maius, cum non solū fiat inTransfusione quidquid in missione sanguinis fit, sed etiam vlteriùs aliquid

efficia-

efficiatur. Sanguinis autem missio maximè coindicatur à viribus, si enim morbus sit quantumuis magnus, si ætas non repugnet; si tamen desunt vires, irritè prorsus peragitur hoc remedium, ac ipse Celsus tantum huic indicationi à viribus tribuit vt illam cæteris omnibus anteposuerit; ergo multò magis debent attendi vires in celebrandâ Transfusione. At illarum certè non habetur à Transfusoribus ratio, dum eam in tabefactis corporibus, & perduelli laxatis ægritudine, vt plurimum administrant: Nec dicant, non opus esse tantis viribus in Transfusione, ac in phlebotomia, quia in hac mittitur sanguis, & spiritus cum illo exhauriuntur, at in illâ, si mittitur sanguis, statim tamen tantundem noui, & melioris reponitur, vndè nullum sequitur virium dispendium, & consequenter non est illarum habenda ratio. Nam contrarium potius dici posset, siquidem dum sanguis mittitur, in simplici phlebotomiâ, educitur naturâ ipsâ impellente plus peccantis sanguinis quam boni, aut saltem is à principalibus partibus remouetur, quare licet simul aliquid spirituum effluat, ex quibus possint vires magis prosterni, non tamen sequitur graue damnum, quia natura noxio

Celsus l.2.c.10.

san-

ſanguine depulſo, tota ſeſe colligit, ac paulatim nouas reaſſumendo vires, in priſtinum redit vigorem, ac quod reliquum eſt cauſæ morbificæ valentiùs indè expellit. In Tranſfuſione verò, licet omnia ſupradicta debeant ſequi ob miſſionem peccantis ſanguinis, quæ fit dum nouus immittitur, non tamen id rectè euenit, quandoquidem non poteſt natura colligere vires, quæ ſibi remanſerunt, cum ab aduenientè ſanguine illæ vlteriùs diſperdantur; nec valet intromiſſam ſanguinis quantitatem regere, ac perfectè diſtribuere per corpus, & proinde potius obruta ſucumbit, quam leuata reuiuiſcat. Opus eſt igitur pluribus viribus pro Tranſfuſione, quam pro ſimplici phlebotomia, ac proinde illam adhibere in morbis deſperatis, prout comuniter fit, repugnat ſatisfactioni indicationum, quæ à medico plurimum debet attendi, ſi iuxtà veram methodum cupit mederi.

Non conuenit etiam Medico duos motus contrarios eodem tempore in ægro corpore efficere, cum magna ſic illi inferatur noxa: Sic prudentes medici ſæpius abſtinent à clyſteribus ipſo die, quo ſanguinem volunt mittere, ne contrarios motus in corpore excitent, ac duplici euacuatione, & per conſe-

quens

quens magna commotione illud exagitent; Igitur multò minus vsurpabunt Transfusionem per quam duo motus totaliter contrarij simul, & eodem prorsus tempore fiunt in corpore, motus nempe ab intra, ad extra per euacuationem sanguinis, motus ab extra ad intra per alterius sanguinis immissionem, ex quibus sanè motibus magna sequitur, vt sæpius dictum est, in corpore agitatio, ob quam à prudentibus Medicis vitari solent isti duplices motus contrarij.

Non acquiescunt his argumentis Transfusores, quinimò conantur probare, quod à medicis fiant nonnullæ operationes Transfusioni similes, atque ideò Transfusio non repugnet Medicinæ præceptis, sed illis plurimum conueniat; Vtitur nempè Medicina clysteribus nutrientibus quando deglutitio est impedita; apponit emplastra vmbilico ad confortandum fœtum, restaurat tabefactos balneis ex lacte paratis, atque ita quid simile Transfusioni operatur.

Inest tamen disparitas primò quoad Clysteres (de quibus multi non præter rationem dubitant) quia per illos nullum sequitur inconueniens in corpore, cum infundantur in intestina succi alimentales, ac in ijs aliqualiter concoquantur, & inde per me-

seraï-

feraicas, seu lacteas venas deferantur ad sanguificationis officinam, pari modo, ac si per os fuissent ingesta; & sic nihil prorsus alteratur corporis œconomia; at in Transfusione sanguis, qui immittitur, non consuetas vias percurrit, nec coctionem vllam in visceribus accipit, qua reddatur homini nutriendo congeneus, quia non ex eò quod sit sanguis, non indiget vlteriori coctione, cum cætero sanguini immediatè immisceatur, namque vel est aptus immediatè nutrire hominem, vel non; si non potest immediatè nutrire, ergo debet prius coctiones priores in reliquis visceribus subire antequam partibus nutriendis admoueatur; si verò aptum est immediatè nutrire, ex eo quod jam in alieno corpore primas coctiones subierit, sequitur quod si per os assumatur, & iecur & ventriculum pertranseat, nullam in ijs coctionem recipiet, sed eo modo, ac sugitur, & prorsus immutatus cætero sanguini immiscebitur, cum opus non habeat suscipiendi iteratas coctiones, si jam prius illas intra aliud corpus receperat; at falsum hoc est, cum haustus sanguis, vel conuertatur in chylum, & deinde iterum in sanguinem, vel in ventriculo incoctus grumescat; Nec dicas quod tunc sanguis extrauasatus

propriam naturam mutaret, ideoque opus haberet iteratis coctionibus, etenim transit per vias animatas, & calore suffultas, ac venis, sanguineque similiter refertas; si igitur non mutat naturam dum per vitreum & inanimatum tubulum permeat, nec etiam mutabit dum oesophagum, ventriculum, & Epar omnibus suis spiritibus exacte munitos pertransit. Certum profectò id est, quod si medici nutrientes clysteres adhibent vel nutriunt corpus regulari, ac consueto ordine, vel si nutritio non succedat, nulla pars principalis læditur, cum illicò possint intestina clysterem reijcere; si verò Transfusione vtuntur, totum corpus exagitant, & nobilissima viscera in magnum ponunt discrimen, si non perfectè succedat operatio; ideoque licet ijs secundum medicinæ leges vti clysteribus, non Transfusione, quia in illis experiuntur nullum cum probabili vtilitate periculum, in hac autem certo periculo cum dubia vtilitate se exponunt.

Adest præterea disparitas inter balnea & emplastra, ac Transfusionem, quia illa nil aliud præstant, nisi spiritus, & qualitates quasdam per poros cutis, nec vllo modo humores commouent, sed benignè, ac suauiter coadiuuant nutritionem, & satiscentes vires

restau-

restaurant; Transfusio autem non corrigere tantum humorum peccata intendit, ac facultatum munera coadiuuare, sed penitus vult omnia innouare, quapropter non adeò comuniter, ac balnea, vsurpanda est à medicis, qui tutò cupiunt mederi ægrotantibus.

CAPVT II.

Explicantur Hippocratis textus, quibus non affectauit, nec sequutus est Transfusionem, sed potius reprobauit.

IDem est Hippocrati, ac Medicinæ repugnare, perinde ac idem est leges violare, ac legislatori non parere; maximum igitur argumentum ad probandum quod Medicinæ repugnet Transfusio, est, quod Hippocratis doctrinæ non sit consentanea. Iam pluribus in locis id ostensum est, Scilicet, eo quod Hippocrates subitas, & magnas mutationes damnet, & in Transfusione fiat omnino magna, violenta, ac repentina mutatio in corpore, reducendoq; illud à statu penitus morboso ad salutem sine vllis præuijs dispositionibus, ac accelerando coctiones, ita vt nutrimentum apponatur corpori antequam

debito tempore intra corpus retentum sit, & per conuenientes gradus subierit coctiones. Ostensum est insuper reprobari ab Hippocrate talem modum reficiendi corpora, cum stabilis alimonia illis non apponatur, ex eo quod quæ velociter apponuntur, & nutriunt, velociter etiam excernantur, ac proinde inutiliter talis refectio adhibeatur quod etiam ipse idem in libro de Alimento repetijt dicens, *quod alimentum, quod ægrè alteratur, ægrè consumitur quod facilè apponitur facilè consumitur*. Ac pluribus alijs in locis colligi posset Transfusionē non rectè accomodari Hippocraticæ doctrinæ, ac ab eodem damnari, non explicitè quidem, quia illam nec ipse somniauit, sed implicitè, per comparationem scilicet dogmatum illius cum natura, & effectibus huius operationis.

Hip. l. de Alim n. 11.

Verùm conantur nonnulli facere Hippocratem, si non asseclam Transfusionis, saltem eiusdem affectatorem, & hoc illius desiderium arguunt ex his quæ dixit in libro de Alimento: *Quicumque veloci appositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum; quicumque verò adhuc velociori indigent, per olfactum;* dicunt namque, quod ille probans ad velocem nutritionem humidum medicamentum,

De Alim. n. 11

tum,

rum, ac ipſum olfactum rei alimentalis, quoquo modo inſinuauerit Transfuſionem, ac ſi dixiſſet ſi aliquos nutrire volumus citiſſimè, infundamus in venas illorum ſanguinem, qui humida res eſt, ac ipſo olfactu melior, & citiſſimè reficit, cum, ſicuti facit olfactus, diuturnas euitet viſcerum coctiones.

Sed ſicuti vnicuique licet Hippocratis verba meditari, non omnes tamen illius veram mentem rationabiliter aſſequuntur. Loquitur ibi Hippocrates de ijs qui citâ indigent refectione, ac illis humida alimenta præbenda iubet, iuxta illud: *facilius eſt impleri potu, quam cibis*, cum humida alimenta faciliùs concoquantur: non tamen inde intendit quod hæc humida alimenta non debeant ſubire omnes coctiones in viſceribus, hoc enim propriæ doctrinæ penitus aduerſaretur; quare inter hæc humida alimenta transfuſum intra venas ſanguinem non comprehendit, cum hic priores omnes coctiones vitet, & id à mente Hippocratis prorſus diſtet, qui millies inculcauit neceſſitatem trium coctionum, quas ſubire debet alimentum, vt probè aſſimiletur corpori. 2. aphor. 11.

Cum verò de refectione per olfactum loquitur, vult illam ſolum eſſe adhibendam in illis caſibus, in quibus vel ob animi de-

fectum, vel ob ingentem virium dissolutionem æger opus habet re aliquà, quæ illicò spiritus aliquos restauret, ita vt deinde gradatim corpus admittere possit solidiorem refectionem, cum odoratus alicuius rei nutrititiæ non possit firmiter reficere, pro vt ipse idem dixit: *quæ velociter nutriunt, velociter excernuntur*; non ergo credibile, est, ipsum vnquam adhibiturum fuisse Transfusionem in his casibus tam violentis, licet enim supposuisset illam posse citissimè reficere corpus, attentà tamen operationis qualitate, non vsus fuisset ipsà, cum vel ipsi Transfusores in his casibus ab illà abstineant, eo quod ad sufferendam talis actionis incomoditatem opus sit multis spiritibus ac periculum sit, ne in præcipiti sanguinis ingressu illi potius dissoluantur, quam restaurentur, quemadmodum nos superiùs probauimus dum de Syncope loqueremur. constat igitur Hippocratem in hoc loco nullo modo rationabiliter exoptasse sanguinis Transfusionem.

2. aphor. 18.

Potius in eodem libro videtur Transfusionem damnasse, aut saltem valde periculosam declarasse, dum dixit; *Sanguis alienus vtilis sanguis proprius vtilis, sanguis alienus noxius sanguis proprius noxius*: non loqutus est hisce

de Alimen. n. 9.

hisce verbis de lacte, quo nutriuntur infantes (sicut exponit doctissimus Vallesius) quibus proprium, scilicet maternum, ac alienum, scilicet nutricum quandoque sunt vtilia, quandoque inutilia, quia inferiùs expresse de hoc loquutus est, dicendo: *lac alienum vrbanum lac proprium noxium lac alienum noxium, lac proprium vtile*; repugnat autem nimiæ breuitati, ac quasi ænigmaticæ qua vtitur in toto hoc libro hæc repetitio, nec adeò indubitata est lactis ex sanguine generatio, ita vt dum loquitur Hippocrates de sanguine, intelligi debeat de lacte, cum apud ipsum etiam colligi possit lac non generari ex sanguine. Igitur supradictis verbis credibile est ipsum loquutum fuisse de sanguine ipso, ac nihil aliud forsan voluit dicere, quam sanguinem proprium esse vtilem, & noxium, vtilem quidem, si bonus sit, noxium, si prauus sit, ac malè nutriat: sanguinem etiam alienum esse quandoque, vtilem, quandoque noxium, hoc est posse aliquando nostris corporibus bene accomodari, aliquando verò non posse, vnde colligi potest esse valde periculosum transfundere alienum sanguinem, cum aliquando etiam possit esse noxius, & huius rei rationem immediatè superius apposuerat; Valesius in com. lib. de alim.

nempe ex eo quia *naturæ omnium sine doctore* sunt doctæ, hoc est naturæ corporum operantur, pro vt illis comodum est, absque vllà doctrinà, & firmà regulà, ita vt talis sit natura alicuius corporis, quæ probè reficiatur aliquà re, quam nos potius illi existimamus esse contrariam, ex eo quod ipsa sine doctore docta, bene cognoscat talem rem tunc illi conuenire: sic loquendo de alieno sanguine, aliquando potest esse vtilis, quia naturæ corporis recipientis accomodatur aliquando noxius, quia licet videatur congruus illi esse, ipsa tamen melius quam nos docta, eum respuit. Vndè concluditur quod valde periculosum, & dubium sit alienum sanguinem alteri dare, ex eo quia non tam corporis vtriusque, tum recipientis, tum dantis, non exactè noscantur naturæ, tum ex eo quod illarum inter se conuenientia nobis plerumque non pateat, sed soli ipsi naturæ ex quo noxius sæpè potest esse sanguis, qui infunditur, ac grauia inferre pericula.

Ex his duo colligere contra nos possunt ipsi Transfusores, primum, quod Transfusio possit aliquando conferre, secundum, quod si prædicta sunt vera, idem quoque dubium de quolibet medicamento poterit

predi-

predicari, ac consequenter tota medicina destruetur. Sed quoad primum respondetur, quod licet ex supradicto Hippocratis loco inferri possit, Transfusionem aliquando posse esse proficuam, tamen ex eo quod dubium valde sit quando hæc vtilitas sperari ab eà possit, cum æqualiter etiam illa sit periculosa, sequitur quod perinde respuenda sit ac si omnino, & semper esset perniciosa. Quoad secundum verò non valet paritas sanguinis infusi cum reliquis medicamentis, cum facultates cæterorum medicamentorum possint bene cognosci, ex eo quod semper sint eædem, non verò possint adeò bene cognosci naturæ animantium, cum non solum vnumquodque indiuiduum ab alio differat, sed etiam vnum indiuiduum pluries à se ipso possit fieri diuersum ob mutationes qualitatum, & alterationes humorum: sic e. g. quælibet radix Rhabarbari bilem purgat, quia quælibet idem habet temperamentum, quare indifferenter quælibet potest sumi ad bilem euacuandam (dumodo non habeat aliquod vitium accidentaliter illi adueniens, scilicet erosa sit, putruerit, aut quid simile ei acciderit) Non verò quodlibet animal est calidum, & humidum v. g. nec exactè nobis notum est, an habeat

in

in sanguine tales qualitates quibus possit tali affectui mederi; quapropter non ita indifferenter quodlibet animal potest pro Transfusione adhiberi, & ita remanet firma dubietas, quæ secundum Hippocratem potest in Transfusione haberi, ex eo quod difficile sit inuenire sanguinem alienum, qui sit vtilis indiuiduo recipienti, cum naturæ animantium non possint perfectæ inuestigari, ac simul inuicem congruenter aptari.

Alia adnotantur loca Hippocratis, in quibus videri potest indicatam ab eo fuisse Transfusionem, nempe libro de ratione victus in acutis, vbi de Aphonià loquens, dixit illam posse fieri ob venarum occlusionem & spirituum in illis interceptionem, cum autem transfuso sanguine possint hæ interceptiones aperiri, videtur ibi fuisse ab Hippocrate indicatam Transfusionem. Sed ibi loquitur ille de Aphonià subitaneà, factà à repletis nimio sanguine venis à quò impeditur transitus spirituum; hæ autem venarum repletiones ex Galeno, vel fiunt à nimià sanguinis copià, vel ab eiusdem vitio, scilicet ab acribus humoribus ipsi admixtis, qui attrahunt multam materiam in venas affectæ parti propinquas, qua illæ oppletæ, transitum denegant spiritibus ad hanc au-

Hipp. de rat. vict. in acut. num. 37.

Gal. de rat. vict. in acut. com. 4.

tem

tem repletionem venarum Galenus solam sanguinis missionem probat cum sufficienter per hanc sanguis, tum copiâ, tum qualitate peccans, satis euacuetur, nec insuper opus sit aliâ sanguinis infusione, cum spiritus qui in corpore sunt, statim ac aperiuntur viæ, sint sufficientes ad tollendam priorem affectionem, nec vllo modo nouus sanguis requiratur, ne iterum repleantur venæ, ac priora mala deinceps reuertantur.

Similiter libro secundo de morbis visus est Hippocrates probasse noui sanguinis infusionem intra venas, cum loquutus est de Apoplexiâ, dixitque, hominem in totius corporis impotentiam incidere perfrigerato intra venas sanguine, ac multæ pituitæ admixto, atque ipsum posse euadere si sanguis, vel à se ipso, vel à medicamentis exhibitis calescat, quare in hoc casu videtur maximè congrua Transfusio, cum possit immediate, ac celerrimè sanguinem calefacere per calidioris sanguinis miscelam. Hip. 2. de morbis n. 6. & 8.

Loquitur ibi Hippocrates de Apoplexiâ, ideoque pro corporis impotentiâ, intelligit priuationem sensus, & motus, quæ vel fit ab obstructione ventriculorum cerebri, ob quam non possunt in illis spiritus generari, ac in corpus diffundi; vel fit ex eò quod non

sup-

suppeditantur illis spiritus ad hoc vt illos possint elaborare, & hoc prouenit, vel quia non gignuntur, vel quia ad illos non demandantur ob obstructionem in venis circumiacentibus factas, & hac de causâ dicuntur ab Hippocrate venæ obstructæ, & refrigerato sanguine plenæ posse corporis impotentiam efficere. Necesse tamen est vt non leuis sit hæc obstructio, adhoc vt possit omnem spiritibus transitum impedire; si autem magna erit obstructio, quantumuis infundatur calidus sanguis, non poterit tam citò eam tollere, pro vt requirit morbi acuties; & periculum, nec poterit adeò facilè sanguis calidus illuc peruenire, nam venæ illæ cerebro propinquæ, plurimum sunt à corde, & Epate dissitæ, ac sunt admodum exiles, plurimisque diuaricationibus confusæ, adeoque non poterit per Transfusionem reddi sanguis calidior, pro vt opus esset. Meliùs quidem id poterit effici inunctionibus, vesicatorijs, alijsque rebus calidis, quæ immediatè ipsi capiti applicantur, ac validius, citiusque ad laborantes partes pertingunt: & hæc sunt, quæ circa horum locorum Hippocratis expositionem dicenda mihi visa sunt, vt demonstrarem ab ipso nullo modo admissam, aut excogitatam fuisse sanguinis

Trans-

Transfusionem. Meliores expositiones possent absque dubio afferri ab ijs, quibus Hippocratis arcana melius innotescunt; mihi sat est aliquid attulisse pro meæ sententiæ defensione.

CAPVT III.

Reijcitur Transfusio quia Philosophiæ aduersatur.

INdecorum est Medico remedia præscribere, quæ plus experientiæ nitantur, quam rationi, non ergo erit laudabilis in Medicinà vsus Transfusionis, quæ nullam aliam meliorem sui probationem affert, quam experientiam, & negligit quascumq; rationes, quæ contra ipsam pugnare possunt, solam afferens pro sui defensione experientiam, qua, cum in aliquibus innocuè fuerit celebrata, cumque sanguinis permeatio non numquam bene se habuerit, tutam omninò, & vtillimam sese prædicat, nihil curans incidere in turpe Empirici medicaminis cognomentum.

Igitur nil mirum erit, si Philosophiæ regulis non bene respondeat. Ac sanè plurimum

mum ab illis visa est discrepare, dum voluit indiuiduorum species confundere, ac diuersos planè sanguines simul vtiliter immiscere, sed cum abundè de his superius ægerimus, & tempus jam sit vt breuitati studeamus, missa faciemus omnia quæ partim ex jam dictis colligi possunt, vel ab vnoquoque possunt animaduerti, solum contenti erimus vnum, atque alterum axioma Philosophicum exponere, quibus directè aduersatur Transfusio. Primum est illud vulgatissimum *Quod nimis probat, nihil pròbat*, quod autem Transfusio nimis probet, facile erit ostendere: infundit illa senibus ac languentibus robustum, ac viuidum juuenis animantis sanguinem, ac ideò infundit, quia supponit posse per talem sanguinem renutriri partes senilis corporis tabefactas, posse robur augeri, coctiones restaurari, ac tandem omnibus ijs qualitatibus imbui corpus quibus præditus erat juuenilis sanguis transfusus; juuenescet ergo senile corpus, ac per aliquod tempus bonâ hac alimoniâ fruetur, qua deficiente, si noua infundatur melius etiam, ac firmius restaurabitur tale corpus, cum non solum nutritum fuerit optimo sanguine, sed insuper comunicata illi fuerit ab eo vis, & energia quædam ad

resi-

resistendum cuilibet contrario, & ad exercendas omnes functiones sibi necessarias, quæ vis & energia à transfuso secunda vice sanguine magis confirmabitur, meliùs quoque iterata hac alimonia reficientur membra; & sic si pluries repetatur Transfusio, senile corpus euadet firmum, & robustum, perinde ac iuuenile, & si quandoque quauis de causa periclitabitur hac Transfusione poterit statim in pristinum reduci, atque adeo quoquomodo poterit, vt ita dicam, fieri immortale. Respuit Philosophia trascendentes istas rationes, ac cum naturalium rerum causas perscrutatur, dum in huiusmodi impingit absurda, penitus non assentitur; non assentietur ergo Transfusioni Philosophia ac illam sibi prorsus aduersam declarabit.

Alterum axioma est illud, *Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*, cui vel non assentiri debet Transfusio, vel se inutilem debet declarare. Quidquid sanguinis recipiunt venæ ac viscera, eodem modo recipiunt, ac illa se habent, sicut eodem modo chilum recipit Epar, ac vertit in sanguinem, sicuti ipsum Epar se habet quoad temperamentum, & sanguificandi facultatem; si igitur venæ ac viscera praua diathesi infecta sint, ac contumacibus obstructio-

nibus

nibus infarcta, nec non deleterijs humoribus conspurcata, non nisi iuxta suum modum poterunt aduenientem sanguinem recipere quare illum inficient, ac defœdabunt; ergo inutiliter administratur Transfusio cum potius inseruiat ad cumulandam materiam morbificam, quam ad tollendam: aut saltem non erit verum axioma philosophicum, quod quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur. Transfusio certè non vult se inutilem declarare, ergo potius non curabit repugnare huic philosophico dogmati, quare firmiter asserenda erit illi repugnans.

Sed quid dicemus ad argumentum à Transfusoribus allatum, quo demonstrant Transfusionem ab ipsâ naturà celebrari, ac consequenter ipsi quoque naturali scientiæ esse consentaneam. Afferunt nutritionem, quam suscipit fœtus intra vterum matris, assumendo scilicet maternum sanguinem per vmbilicalem venam, & in hoc nutriendi modo veram agnoscunt Transfusionem, cum sanguis maternus in venas fœtus effundatur, perinde ac veruecinus sanguis ab ipsis Transfusoribus effunditur in hominis venas. Magnam tamen inter vtrumque opus dissentionem inuenio, effusio siquidem sanguinis,

guinis, quam facit mater in vmbilicalem venam fœtus, non est verè Transfusio, sed continuatus quidam transitus per vasa vtrisque communia; fœtus enim licet possit aliqualiter à matre diuersus esse per diuersum temperamentum, ac animas separatas, tamen dum adhuc intra vterum commoratur, maximè dependet à matre; ac secundùm illius diuersas alterationes, ille etiam bene, aut male se habet: ac etiam quo ad ipsam animam, plurimam à matre dependentiam habet, cum communiter asserant Theologi, non assignari Angelum Custodem fœtui antequam ab vtero exeat, sed ab Angelo matris custodiri, ex eo quod plurimam cum illa habeat connexionem, ac ferè idem sit cum illa. Certùm saltem, id est, minorem disparitatem esse inter matrem, & fœtum, quam inter hominem, & veruecem, ex qua tolerabilior, ac longè melior est sanguinum communicatio, quæ in illis fit à natura, quam quæ inter hos celebratur à Transfusoribus.

CAPVT IV.

Colligitur ex sacris Scripturis Transfusionis inconuenientia.

Liceat Medicinæ fines paulisper transcendere, ac vt abundè curioso Lectori satisfiat, probatâ jam medicis rationibus inconuenientiâ Transfusionis, detur illam vlteriùs confirmare sacrarum paginarum monumentis, sic enim non Medicis tantum, sed eruditis quibuscumque illius repugnantia innotescet.

Quæ sanè repugnantia colligitur ex antiquis Dei præceptis, quibus populo Iudæorum inhibuit, ne sanguine vteretur; legitur enim in Genesi mandatum fuisse Noe, & alijs de arca egredientibus: *Carnem cum sanguine non comedetis, sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu omnium bestiarum, &c.* ac etiam in Deuteronomio per Moysem præceptum fuisse populo, vt etiam à sanguine mortui animalis abstineret: similiter in Leuitico pluribus in locis factam fuisse huius prohibitionis mentionem, ac præsertim his verbis: *San-*

Genes cap. 9.

Deuteron. cap. 12.

guinem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est, & quicumque comederit illam, interibit. Ac tale etiam præceptum confirmare visi fuerunt Apostoli, dum abstinentiam à sanguine, & suffocatis in noua Ecclesia conseruare (licet decreto in perpetuum non duraturo) statuerunt.

Leuit cap. 17.

A ctor 15.

Horum autem mandatorum is fuit finis, ne homines tractando sanguini assuescerent vndè feritatem ebiberent, qua proni in homicidia euaderent, quod omnes penè interpretes censuerunt, ac præ cæteris Diuus Augustinus sic loquens: *Hoc autem facit ideo vt primis illis temporibus comprimat illorum impetum, & propensionem ad homicidia:* Et etiam vt Pererius explicat; *Idest non comedetis carnem viuentem, sicut feræ omnium viuentium, tam animalium, quam hominum, carnes comedunt; vel non comedetis sanguinem, quo animalium vita maximè continetur.*

D. August. in Genes.

Perer in Genes l. 14.

Licet verò vetitus sanguinis vsus, eò dumtaxat tenderet, ne homines eo vescerentur, quamobrem minus ad nostram causam pertinere videatur; nihilominus illius præcepti finis ita hodiernæ Transfusioni repugnat, vt qui eam adhibet, Deo mansuetudinem intendenti aduersari videatur. Quid enim

crudelius quam sanguinem è venis non elicere, sed vi extrahere, tantumque dolorem non horrere, quem vix oculi ferunt? Non solum quippe ligantur & vulnerantur bruta, sed prætiosior ex illorum arterijs sanguis paulatim (ne dicam per iocum) totus educitur; nonnè ergo inter hæc nutritur crudelitas, ac in tali cruoris effusione diù immorando, nonnè magis delectatur, & firmius assuescit? quare licet per Transfusionem non bibatur sanguis, cum tamen eadem secum ferat inconuenientia, ac illius potus, bene potest includi non quidem sub hoc præcepto, quod lex noua aboleuit, sed sub fine, quem Deus præceptis suis intendit.

Licet profectò pro hominis salute similia exequi, ac vt illius tollantur incommoda, parum refert an brutorum vita periclitetur; attamen peculiariter rigidum quid sapit illa tali pacto interimere, ac minus congruum videtur innumera mitiora remedia prætermittere, vt sæuius adhibeatur, non solum cum patientum cruciatu maiore, sed quoque non sine totali agentium virtutis periculo.

Fugiant ergo Medici hanc rigoris notam & si etiam dum leniter in alijs remedijs segerunt,

gerunt, hoc nomen vitare plærumque non possunt, desinant amplecti hanc nouam remedij formam, quæ patentiorem refert sæuitiem, & rationabilius illis talem caracterem potest imprimere.

CAPVT V.

Examinatur Transfusio Legalibus argumentis, & ab illis vetita demonstratur.

INiecimus jam falcem in alienam messem, dum relicta medicorum argumentorum semitâ, in sacrarum Scripturarum, viridaria diuertimus; placet igitur vlterius progredi, ac latos legum campos ingredi, & in illis manipulos, hoc est authoritates quasdam colligere, quibus insequatur, & verberetur Transfusio.

Fundamentum autem præsentis discursus erit nouitas, & non exacta huius remedij certitudo, ob quam vetitum est medicis similia medicamenta adhibere, & multò magis Transfusionem, contra quam non sola pugnat nouitas, & incertitudo, sed validæ, & efficaces rationes, ac etiam lumen naturale, quod primo aspectu illius

vtilitatem vanam plærisque demonstrat.

Non licet igitur Medicis vti medicamentis, & ratione medendi minus probabilibus & certis, relictis certioribus, & comunioribus, sicuti faciunt Transfusores, qui comunissimam medendi regulam relinquentes adhibent hoc remedium minus probabile, & certum, sic Portell; Sotus, Suarez, Villalob; Vasquez, Sanchez, qui citantur à Diana, quibus addi possunt Castropal; & Fagnanus, qui medicos sic operantes non solum aliorum Doctorum testimonijs damnat, sed etiam naturali ratione reprobat, & conuincit, *quia nemo vellet talem medicum, qui vtens medicamentis minus probabilibus, & tutis, probabilius occideret, quam sanaret, & si quis talem eligeret medicum, censet ille, hunc magis ægrum mente, quam corpore*; quinimò citat inter alios Innocent; qui probabilitatem medicamenti non latè sumit, sed restringit etiam ad leue dubium quod haberi potest de medicamento adhibendo, statuit nempe ille, *Medicum peccare non solum cum adhibet medicinam, dubitans an illa sit nocitura, vel profutura, sed etiam cum vehementer credit eam profuturam, si aliquid dubitationis habeat, vel habere debeat, ne illa noceat, quia semper in-*

Diana tr. 3. de opin. prob. resol. 7.

Fagnan. in c. ne innitar. n. 293. & 294. de constit.

Fagnan. nu. 250.

Innoc. in cap. tuanos nu. 1. de homicid

tutio-

tutiorem partem intelligendum est.

Excipiuntur tamen à nonnullis aliqui casus, in quibus medicus licitè potest minus probabilia medicamina vsurpare, scilicet vbi nullum aliud certius reperiretur medicamentum, quo posset talis morbus curari, sic Diana, Castropal; & multi alij, sed hoc non potest applicari Transfusioni, cum innumera alia tutiora medicamenta adsint ad curandos eos morbos, quibus ipsa adhibetur, & innumeri morbi huc vsque fuerint exactè absque illà curati.

Idem quoque Fagnanus sequitur probare, medicos teneri ad sequendam partem probabiliorem, & comuniorem circa electionem medicamentorum, & rationem medendi, non solum ex debito charitatis, quæ postulat, vt certiori modo, quo possumus, ægro subueniamus; sed etiam illos teneri ex suo officio, & de obligatione iustitiæ; sic autem id probat; primò, *quia officium medici est adhibere medicamenta, quæ putat potius profutura esse quam nocitura, sed is non potest opinari profuturum esse aliquod medicamentum, quod probabilius est nociturum, cum oporteat opinari illam artem, quę habet fortiora motiua; ergo medicus, qui sequitur partem minus probabi-* **Fagnan. ibidem.**

babilem, non satisfacit officio suo, & sic peccat etiam contra iustitiam. Secundo id probat, *quia si ex charitate erga infirmum tenemur, vt medio certiore ei subueniamus, certè non minus id debemus facere ex amore veri, & recti, quod à nobis diligi, & omni studio inquiri debet, & quod nisi sic inquiramus, & amemus, peccamus formaliter, non tantum materialiter; quemàdmodum enim qui non vtitur certiori medio ad subueniendum infirmo, conuincitur non diligere infirmum, & peccat, ita quicumque non vtitur medio certiore ad assequendum verum conuincitur ex hoc ipso non diligere Deum, qui est ipsa veritas.*

Sed dicet aliquis, Transfusio non censetur à Transfusoribus medicamentum non probabile, sed rationi consonum, & experientiæ, ergo si illam sequuntur, non errant. Respondeo, quod licet ab ipsis censeatur esse medicamentum probabile, non possunt tamen ipsi etiam negare, quod sit multò minus probabile, quam cætera omnia medicamenta, quæ comuniter ab alijs medicis adhibentur, & per tot secula compertum est fuisse proficua. Nec item negare possunt aliquid dubietatis etiam nunc apud ipsos remanere circa illius vtilitatem, cum ipsi etiam

etiam cognoscant, tres vel quatuor casus, in quibus illa profuit, non sufficere ad stabiliendam eius omnimodam securitatem; quare cum adhuc remaneat illis circa hoc aliqua dubietas, non debent illa vti, relinquendo cætera remedia, quæ certiori prorsus modo morbis succurrunt, pro vt censet Innocentius, quem supra retulimus.

Instabunt iterum Transfusores dicendo: nos illà vtimur, vt maiorem certitudinem de illà adipiscamur, multiplicatis enim experientijs ipsius probabilitas magis statuitur. Respondet tamen illis Castropalao, asserens, *illicitam esse medicis experientiam facere de medicamentis, an sint salutaria, vel nociua, etiam in ægrotis desperatis, quia nemini licet morte proximi scientiam consequi, & quia sic operans dubius est an mortem acceleraturus sit medicamento, ergo quantum est ex se accelerationem intendit, & peccat.* Castropal de consc. opin. disp. 2. punc. 9 n. 3.

Hæ sunt Doctorum opiniones circa vsum dubiorum medicamentorum, inter quæ, vt probatum est, numeranda est præcipuè Transfusio. Si autem alicui magis arrideret quæstiones ad medicum spectantes audire à medicis ipsis discussas, illi etiam satisfiet, cum doctissimus Zacchias nostri

æui

æui medicus celeberrimus in suis quæstionibus medico legalibus abundè de hoc ægerit pluries, pro vt hic subnectitur.

Zachias lib. 6. tit. 1. quæst. 7. n. 2. Et quidem libro sexto sic loquutus est, *Cæterum ante alia statuendum est, quod medicus qui in medendo incertas, nouas, dubias, & extra quotidianam praxim existentes opiniones sequitur, grauem errorem comittit, cum ex conscientiâ teneatur sequi sententias certas securas, & comuniores*: & infra sic *Damnandi, & puniendi etiam sunt medici illi, qui remedia quædam celeberrima apud medicina artem omni seculo canonizata, respuunt, & ob propriam quandam hæresim, ea maximo cum ægrorum præiudicio prætermittunt, absurdis quibusdam, & insulsis rationibus inhærentes, quæ ne digna quidem sunt, quæ in medium producantur*: ac insuper inferius

num. 7. sic subiungit *in hoc etiam errore implicatur medicus qui medicamenta noua, & non experta in vsum trahit, cum habeat experta & à comuni vsu recepta. Sic Canonistæ voluerunt, tam experta esse medicamenta, vt si dubitet Medicus, an aliquod medicamentum profuturum sit, nec ne, voluerint potius illum dimittere debere ægrum in manus Dei quam periculo mortis tali experimento*

mento exponere, sic citat Nauarr, Carrar, Actium &c. Idem quoque prosequitur as-sere libro 10, consf. 40. n. 3. & 4. & consf. 71. num. 14. lib. 8. tit. 2. quæst. 3. num. 1. & 2. vbi non solum asserit peccare medicum, qui dubia medicamenta præscribit, sed etiam ægrum qui illa assumit.

Hæc igitur præcipua sunt argumenta, quibus reprobatur à legum decretis Transfusio, quæ ideò hic fuerunt apposita, vt plenius auidis lectorum ingenijs satisfieret, ac vt nullum relinqueretur armorum genus, quo non insequeretur Transfusio; que quidem arma, si alicubi vel parum acuta, vel non exactè detersa, & lucida à Lectoribus inueniantur, ignoscant quæsò, ac proprijs ingenijs incepta perficiendo, acutiem illis addant, & nitorem, & sic dum huic Opusculo proprias doctrinas immiscebunt vt ex illarum accessu magis conspicuum reddatur, veriorem, & vtilimam facient TRANSFVSIONEM.



FINIS.

INDEX

INDEX
CAPITVM.

SECTIO TERTIA

Transfusio Repugnans.

L E-

LECTOR, præcipuos errores, qui Typographi incuriâ exciderunt, hic notatos aduerte, alios, quos tu ipse cognosces, benignus excusa, & more sapientum res attende, non verba; talia igitur.

ERRATA	sic CORRIGES
pag. 4. recijenda	reicijenda
pag. 21. distribuione	distributione
pag. 23. meditantibus	mediantibus
pag, 27. alr i	alteri
pag. 42. non inferet	inferet
ibidem humanijs	humani ijs
pag. 53. belluni	belluini
pag. 63. æedem	eædem
pag. 80. somniculos	somniculosos
pag. 88. non	nos
pag. 97. venera	venerea
pag. 120. non exactè	exactè
pag. 122. perfectæ	perfectè
Epar	Hepar

FINE





